This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

UC-NRLF
$B 14 117
768q
B34
768q
Digitized by Google

LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF CALIFORNIA.
GIFT OF
Strasburg Univ.
Class 768 q
B34



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JUN 5 1903

QUAESTIONES SCAENICAE PLAUTINAE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

FERDINANDUS BAUER

TREVIR.

UNIVERSITY

STRASSBURG i. E.

BUCHDRUCKEREI HERTZER, HUBERT & FRITSCH, KINDERSPIELGASSE 20

1902

Digitized by Google

Von der philosophischen Fakultät genehmigt

am 15. Februar 1902.

Digitized by Google

RICARDO REITZENSTEIN

SACRUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

De rebus scaenicis Romanis, quae qualesque fuerint Plauti poetae temporibus, fusius uberiusque primus Fr. Ritschelius disputavit in libro eo, qui inscribitur „Parerga Plautina Terentianaque“ Berolini 1845. Qui qua erat diligentia atque sagacitate, quamquam permulta recte explanavit et difficultates haud paucas detexit, quae priorum interpretum ingenia fugerant, tamen industriae et investigationi nihil disceptandum non reliquit, siquidem verum est illud: *εἷς ἀνὴρ οὐ πάνθ'ὁρᾶ.*[1] Quae cum ita sint, operam nobis non perdidisse videmur, quod quaestiones de rebus scaenicis Plautinis motas necdum absolutas pro virili parte denuo tractandas suscepimus. Erravisse enim mihi videtur Ritschelius in iis, quae de spectatorum in ludis scaenicis illius aetatis condicione coniecit. Qua de re inde a pagina 209 sq. haec fere exposuit:

Romae ante annum 55 a. Chr. n. theatrum lapideum, gradibus instructum non fuisse; quale anno 154 a. Chr. n. a censoribus locatum et auctore P. Scipione Nasica consule ex senatus consulto destructum esse Valerium Maximum (II, 4, 2) esse auctorem. Qui quidem „atque etiam“, inquit, „senatus consulto cautum est, ne quis in urbe propiusve mille passus subsellia posuisse sedensve ludos spectare vellet“. Eadem Livius cum tradit, addit:[2] „populusque aliquamdiu stans ludos spectavit“. His ex verbis collegit Ritschelius ante annum 154 a. Chr. n. theatrum gradibus, in quibus considerent spectatores, caruisse et, nisi ipsi sellas secum tulissent, stantes eos ludis interfuisse caveamque in colle leniter acclivi positam ligneis carceribus circumclusam fuisse. Et promiscue Romanos primo spectavisse illos ludos; sed anno 195 a. Chr. n. senatorum loca a populi separata esse ita, ut illis servarentur prima.

---

[1] Euripid. Phoeniss. v. 746 (ed. Kirchhoff).

[2] Epit. lib. XLVIII.

Digitized by Google

Gradus autem Plauti aetate nondum fuisse. Atqui eorum in Poenuli, Amphitruonis, Captivorum prologis[1] mentionem fieri. Ergo prologos hos a Plauto abiudicandos atque posterioribus temporibus tribuendos esse, quoniam gradus, non lapidei, sed lignei, inde ab anno 146 a. Chr. n. demum a Romanis Graecos imitatis exstructi essent, id quod ex Taciti (annal. XIV, 20) verbis colligere posse sibi vir doctissimus videbatur.

Hac in re quamquam multi viri docti[2] ab eo stant, tamen nos quidem ei adstipulari omnino non possumus. Omnes certe proni in eum sumus errorem, quo ipsi tenebantur[3] veterum scriptores, ut et a Graecis fere omnia recepisse Romanos statuamus et fabulas resque scaenicas quasi de integro Romae natas atque paulatim excultas credamus. Ita dum prima quasi rudimenta scaenicae artis quaerimus, nec rerum scriptorum neque ipsius Plauti testimoniis mente non occupata utimur.

Atque quominus Ritschelio assentiamur, obstant multa. Ac primum quidem Romanis aut omnibus aut plerisque Graecorum theatra nota erant, quae ligneis molibus aliquatenus imitari non maioris erat negotii quam, quod hodie saepe fieri videmus, circum equorum curriculis destinatum exstruere vel suggesta excitare, unde praeteriens pompa spectetur. Si starent, paucos, si sederent, multo plures spectare posse quem fugere potuit? Stetisse omnes totamque fabulam aut plures fabulas stantes spectasse vix credideris; sed fac plerosque sellulas secum attulisse: quid attinuit, si ex libidine dispersae in colle praesertim leniter acclivi, non certo ponebantur ordine.

Haec semel praemittenda videbantur; duplici iam via ad rem ipsam aggrediamur. Ac primum quidem, quid rerum

---

[1] Cf. Poenuli prol. v. 19 sq.
Amphitruonis prol. v. 65 sq.
Captivorum prol. v. 10 sq.
Versus numerans Leonem sequor (ed. 1895/96).

[2] Ut Ribbeckius in «tragoedia Romana» 1875, p. 76 et 648 sq.
Friedlaenderus in Becker-Marqu. antiqu. Rom., vol. VII, p. 482 sq.
Guhlius et Konerus[6] in vita Graec. et Rom., p. 827 sq.
Mommsenus[8] in historia Romana 1888, I, p. 887 sq.

[3] Cf. Liv. VII, 2.

Digitized by Google

scriptores, qui post Plautum fuerunt, de spectatorum in ludis scaenicis id aetatis condicione memoriae prodiderint, deinde quid Plautinis fabulis ipsis hac de re exhibeatur, examinemus.

CAPUT PRIUS.

Quid de spectatorum consessu veteres scriptores excepto Plauto praebeant.

Ordinem certum ut sequamur simulque perspicuitati consulamus, liceat de singulis, quos nobis tractandos proposuimus, locis servato deinceps annorum temporumque ordine disserere ac primum, quid de anno 154 a. Chr. n. tradant rerum scriptores, videre.

Epitome Livii XLVIII, Valerius Maximus II, 4, 2, Augustinus de civit. dei I, 31, Orosius in histor. adv. pagan. IV, 21, 4, alii[1] memoriae tradiderunt anno 154 a. Chr. n. theatrum lapideum a Cassio Longino et Valerio Messala censoribus locatum, sed consule P. Scipione Nasica auctore ex senatus consulto destructum esse ac theatri apparatum universum sub hasta veniisse. Quin etiam interdictum est, ut ne subsellia neque in urbe ipsa neque in circuitu mille passuum ludis scaenicis ponerentur, ne considerent in iis spectatores. Quo factum est, ut Romani stantes aliquamdiu ludos spectarent. Hos singulos audiamus testes. A.154 a.Chr.n.

Ordiamur a Livio, qui gravissimus mihi auctor esse videtur. Cuius vestigia arte secutus est Valerius Maximus; quod quo facilius cognoscas, utriusque verba componamus.

---

[1] Velleius Paterculus I, 15, 3: «Cassius censor a Lupercali in Palatium versus theatrum facere instituit; cui in eo moliendo eximia civitatis severitas et consul Scipio restitere.»

Appianus in bell. civ. I, 28: «τῷ δ'αὐτῷ χρόνῳ Σκιπίων ὕπατος καθεῖλε τὸ θέατρον, οὗ Λεύκιος Κάσσιος ἤρκτο, καὶ ἤδη που τέλος ἐλάμβανεν, ὡς καὶ τόδε στάσεων ἄρξον ἑτέρων, ἢ οὐ χρήσιμον ὅλως Ἑλληνικαῖς ἡδυπαθείαις Ῥωμαίους ἐθίζεσθαι.»

Digitized by Google

Epit. Livii xlviii:

„Cum locatum a censoribus theatrum exstrueretur, P. Cornelio Nasica auctore tanquam inutile et nociturum publicis moribus ex senatus consulto destructum est, populusque aliquamdiu stans ludos spectavit.“

Valer. Max. ii, 4, 2:

„Quae (scil. theatra) inchoata quidem sunt a Messala et Cassio censoribus; ceterum auctore P. Scipione Nasica omnem apparatum operis eorum subiectum hastae venire placuit; atque etiam senatus consulto cautum est, ne quis in urbe propiusve mille passus subsellia posuisse[1] sedensve ludos spectare vellet, ut scilicet remissioni animorum iuncta standi virilitas propria Romanae gentis nota esset.“

Valerium, quidquid hic cum de institutis, quae dicuntur, antiquis, tum de ludis scaenicis disserat, e Livio sumpsisse verisimile esse concedes, si universam rerum respexeris seriem. Velut quae paragrapho tertia de senatorum in ludis scaenicis locis a plebe separatis Valerius dicit, eidem auctori quin debeantur, dubium non est, ut paullo infra p. 22 sq. ostendam. Tum exemplum illud (§ 4), quo de ludorum scaenicorum origine copiosius agit, ex Livii (VII, 2) eisdem fere verbis depromptum esse nemo non videt.

Iam singula examinemus. Ac primum quidem theatrum a censoribus locatum nondum omnibus partibus exstructum P. Cornelio Scipione auctore ex senatus consulto destructum esse uterque exhibet scriptor. Neque vero in eo haerendum est, quod apud Livium senatus consulti, quod Valerius in altera exempli, quod vocat, parte dicit, quo subsellia in ludis scaenicis ponere Romani vetantur, mentio non fit. Sed teneas memoria

[1] Cf. act. lud. saec. v. 100 sq: «nullis positis sedilibus», quo de loco egi infra p. 40.

Digitized by Google

velim hunc, de quo agitur, librum Livii coactum esse in epitomen. Deinde cum ex verbis „ex senatus consulto destructum est“, tum maxime ex iis, quae succedunt „populusque aliquamdiu stans ludos spectavit“, iure nos colligere posse puto etiam alterum illud senatus consultum Livium in perdito libro XLVIII commemorasse.

Restat, ut videamus, quid Augustinus libri de civit. dei I, 31, qui idem attigit atque Livius et Valerius, referat. Cum Augustini autem verbis conferenda sunt, quae apud Orosium in histor. adv. pagan. IV, 21, 4 leguntur.

Augustinus de civ. dei I, 31:	Orosius adv. pagan. IV, 21, 4:
„Hinc etiam erat, et ex hac providentissima patriae caritate veniebat, quod idem ipse vester pontifex maximus, a senatu temporis illius (quod saepe dicendum est) electus sine ulla sententiarum discrepantia vir optimus, caveam theatri senatum construere molientem, ab hac dispositione et cupiditate compescuit;	„Eodem tempore censores theatrum lapideum in urbe construi censuerunt. Quod ne tunc fieret, Scipio Nasica
persuasitque oratione gravissima, ne Graecam luxuriam virilibus patriae moribus paterentur obrepere, et ad virtutem labefactandam enervandamque Romanam peregrinae consentire nequitiae,	gravissima oratione obstitit dicens inimicissimum hoc fore bellatori populo ad nutriendam desidiam lasciviamque commentum,
tantumque auctoritate valuit, ut eius verbis commota senatoria providentia etiam subsellia, quibus ad horam congestis in ludorum spectaculo iam uti civitas coeperat, deinceps prohiberet apponi.“	adeoque movit senatum, ut non solum vendi omnia theatro comparata iusserit, sed etiam subsellia ludis
	poni prohibuerit.“

Digitized by Google

Orosius cum plura quam Augustinus afferat, ex illo pendere non potest, quamquam verba extrema utriusque paene eadem sunt. Etenim quod consentiunt inter se illi, offensione caret, si utrumque ex eodem auctore hausisse ponimus, qui Livius ipse non erat, immo epitome quaedam Liviana deperdita. Hoc assentior Zangemeistero, qui commentatione de Titi Livii periochis[1] Niebuhrii[2] et Mommseni[3] vestigia secutus comparatis Livii periochis et Orosii libris luce clarius comprobavit neque periocharum scriptorem neque Orosium Livio niti, sed utrumque Livii epitoma eaque perdita usum esse; quin etiam excerpta Liviana, quae in Augustini libris de civitate dei adhuc exstant, eadem ex epitoma fluxisse coniecit, ex qua ceteri, qui Livii libros excerpserint, auctores pendent.

Haec igitur Livius.

Ex hac Livii narratione spectatores ante annum 154 a. Chr. n. in theatro stetisse, ut Ritschelius vult, non colligitur. Immo sedisse ante hunc annum aut omnes aut plerosque apparet ex verbis „populusque aliquamdiu staus ludos spectavit," quibus non satisfacimus, si cum Ritschelio plerosque spectatores sellas secum attulisse statuimus. Nititur ille quidem Valerii Maximi verbis illis: „atque etiam senatus consulto cautum est, ne quis in urbe propiusve mille passus subsellia posuisse sedensve ludos spectare vellet." Sed haec num a Ritschelio recte sint intellecta, videamus, eoque diligentius videamus, quia hoc quasi fundamento tota eius ratiocinatio innititur. Ipsius viri doctissimi verbis uti liceat (l. c. p. 213): „*Was aus diesem Gesetz für uns unzweifelhaft hervorgeht, ist doch, dass es vor 599 (154 a. Chr. n.) üblich war, sich seinen eigenen Sessel ins Theater mitzubringen, wenn man nicht stehen wollte, dass es also feste Sitzplätze noch gar nicht gab, dass überhaupt halbkreisförmig erhöhte Sitzreihen,* gradus, *in dem damaligen*

---

[1] Cf. «*Festschrift zur Begrüssung der 36. Philologenversammlung*». Karlsruhe, p. 87 sq.

[2] Cf. Niebuhr, «*Römische Geschichte*», III², p. 479; p. 500; idem «*Vorträge*», I (1846), p. 58.

[3] Cf. Mommsen, «*Die Chronik des Cassiodorus Senator*» in «*Abhandl. d. K. S. Ges. d. Wiss.*», VIII, p. 552; p. 696.

Digitized by Google

Theater noch nicht vorhanden waren.“ Quam sententiam stare non posse si demonstraverimus, tota Ritschelii argumentatio collabetur. Ipsa senatus consulti verba examinemus.

Ac primum quidem ante omnia tenendum est hic dici subsellia, ut nos dicimus „*Bänke*“, non sellas, „*Sessel*“. Etenim subsellium differt a sella ita, ut non habeat integrae sellae formam,[1] sed inferius ideoque minus commodum sit illa.[2] Jam premendum est, cum neque sella pluribus hominibus sedes praebeatur, et in subsellio considere possint complures,[3] sellas non ita quadrare ad theatrum, immo vero subsellia.

Conferas enim velim Ciceronis or. in Catilin. I, 16, ubi haec leguntur: „Quid, quod adventu tuo ista subsellia vacuefacta sunt, quod omnes consulares, . . . simulatque adsedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt“; cf. eiusdem pro Sextio Roscio 17: „quorum alterum sedere in accusatorum subselliis video“; ib. 104: „qui de accusatoris subsellio surgit.“ Proprie denique subsellia dicuntur sedes theatri, in quibus spectatores sedebant, gradus dico. Cf. Sueton. Aug. 44: „Facto igitur decreto patrum, ut, quoties quid spectaculi usquam publice ederetur, primus subselliorum ordo vacaret senatoribus.“ Cf. Martial. epigr. 2, 29, 1: „Rufe, vides illum subsellia prima terentem“; id. 1, 27: „bibis, quantum subsellia quinque“, ubi subsellia pro ipsis hominibus ponuntur, qui in iis considerent epulantes. Subsellium autem idem fere signi-

---

[1] Cf. M. Terentium Varronem Reatinum, qui in libro, qui inscribitur «de lingua Latina» V, 28 haec exhibet: «Ab sedendo appellatae sedes, sedile, solium, sellae, siliquastrum, deinde ab his subsellium. Ut subsipere, quod non plane sapit, sic, quod non plane erat sella, subsellium.»

[2] Cf. quae leguntur in Plauti Stichi I, 92 sq.: *Sor.* «Asside hic, pater. *Ant.* Non sedeo istic, vos sedete; ego sedero in subsellio. *Pan.* Mane pulvinum. *Ant.* Bene procuras. Mihi satis sic fultumst. Sede.», ubi subsellium pulvino ornatur, ut seni sedes paretur commodior.

[3] Cf. quod hac de re Mommsenus dixit in «iuris publici Romani» vol. I, pag. 405: «*Im scharfen Gegensatz zu dem Sessel, ... steht die Bank, das* subsellium, *welche von dem Sessel sich unterscheidet teils dadurch, dass sie niedriger ist, teils dadurch, dass der Sessel für einen Einzelnen, die Bank dagegen für mehrere neben einander als Sitzplatz dient.*»

Digitized by Google

ficare quod scamnum (nos „*Bank*“) apparet ex Martial. epigr. 5, 41: „sedere in scamnis equitum.“ Atque convenit, quod in cod. Theodosiano III, 1, 2 legitur: „ut, etiamsi subsellia, vel, ut vulgo aiunt, scamna venduntur“. Praeterea conferas velim Ovidii Fast. VI, 305: „ante focos olim longis“, id quod premo, „considere scamnis mos erat“.[1]

Quae cum ita sint, Ritschelius non ita ad subsellii verbum spectasse mihi videtur, quippe qui idem fere atque sellam significare subsellium velit[2] neque vero, ut ostendisse mihi videor, suo iure.

Redeo ad Valerii verba. In enuntiatis illis secundariis, de quibus agitur: „ne quis in urbe propiusve mille passus subsellia posuisse sedensve ludos spectare vellet“[3], duplex,

---

[1] Iis verbis Plauti Stichi l, 92 sq. versus, quos attuli supra p. 11, explanantur.

[2] Haud aliter iudicat Ribbeckius l. c. p. 649; cuius verba ipsa afferre liceat: «*Scipio setzte es durch, dass ein Senatsbeschluss erfolgte, laut welchem hinfort keinem gestattet sein sollte, bei den Spielen Sessel aufzustellen.*»

[3] Haec verba petita sunt e tabulis publicis. Quibus quomodo fere Livius sit usus, ut cognoscas, componas velim Livii XXXIX, 14, 8 et senatus consulti de Bacchanalibus (a. 568 u. c.) § 10—18 (in Bruns font. iur. Rom. ant.[6] 1893, p. 160) verba:

Livius:	Senatus consultum:
«edici praeterea in urbe Roma et per totam Italiam edicta mitti, ne quis, qui Bacchis initiatus esset, coisse aut convenisse sacrorum causa velit neu quid talis rei divinae fecisse»	«Neve posthac inter sed coniourase neve comvovise neve conspondise neve compromesise velet, neve quisquam fidem inter sed dedise velet. Sacra in oquoltod ne quisquam fecise velet neve in poplicod neve in preivatod neve exstrad urbem sacra quisquam fecise velet, nisei pr(aetorem) urbanum adieset isque de senatuos sententiad—iousiset.»

Livius igitur et complura senatus consulti capita, quorum alterum pertinet ad omnes, qui mysteriis initiarentur, alterum ad sacerdotem, qui rem divinam faceret, una comprehensione complexus est neque quidquam novi ex suo adiecit. Quae cum ita sint, verba quoque Livii, quae apud Valerium leguntur «sedensve ludos spectare vellet», ex ipso senatus consulto petita minimeque supervacanea aut sensu cassa credo.

Digitized by Google

opinor, vis inest. Ac primum haec fere tradere auctor mihi videtur: subsellia in urbe propiusve mille passus in posterum ludis poni senatus vetuit. Quod senatus consultum ad eos potissimum pertinet, qui subsellia ponebant, id est: theatri caveam subselliis instruebant. Hanc curam inde ab anno 174 a. Chr. n. magistratibus ludos edentibus delatam esse paullo infra ostendam. Tum verba, quae subsequuntur „sedensve ludos spectare vellet", ad eos, qui in subselliis illis considebant, pertinent, spectatores dico. Hic sensus certe subesse potest verbis illis, immo, non potest non subesse. Ponamus enim me errare verbaque illa id, quod vult Ritschelius, significare, iam cur in illo, de quo agitur, senatus consulto haec ita disiuncta sint, iure quispiam quaerat. Quid enim, si re vera de sellis a singulis spectatoribus ad ludos apportatis cogitari posset, novi comperiremus verbis „sedensve ludos spectare vellet", quid, quod non inesset in verbis, quae antecedunt?

Haec igitur sunt, ut ad Augustinum redeam, illa „subsellia, quibus ad horam congestis in ludorum spectaculo iam uti civitas coeperat." Quae verba nihil aliud sibi volunt nisi hoc: Publius Cornelius Scipio Nasica consul anno 154, ne theatrum stabile aedificaretur, saltem ne perficeretur, impedivit, quin etiam interdixit, ne posthac in theatri cavea subsellia ponerentur, id est: ne subitarii gradus exstruerentur, in quibus spectatores considerent. Hi enim subselliis in theatro uti iam ante id tempus coeperant; nimirum, quo ex anno, his Augustini verbis non dicitur, qui quidem antiquissimis temporibus stantes eos ludis interfuisse opinatus mihi esse videtur.

Hoc autem certe comprobatur spectatores in theatro iam ante annum 154 consedisse eamque considendi consuetudinem eo ipso anno mutatam esse.

Mira enim eademque vehementissima tempestas erat exorta: ipso enim hoc anno (154) Diogenes, Carneades, Critolaus philosophi ex Italia expulsi sunt. Etenim Graecorum philosophiam cum philosophis amotam, Graecorum ludos scaenicos cum scaena sublatos, Graecorum luxuriam et

Digitized by Google

mollitiam[1] cum instrumentis luxuriae eiectam, denique omnem peregrinitatem cum peregrinis funditus eversam pars quaedam virorum nobilium volebat.[2]

Quae cum ita sint, Ritschelio adeo non assentimur, ut „subsellia posuisse" idem significare atque axes trabesque ad sedendum facta exstruxisse velimus.

Iam vero videamus, quid ex Taciti annal. XIV, 20 et 21 hac de re concludi possit. Ubi haec leguntur: „Nerone quartum Cornelio Cosso consulibus quinquennale ludicrum Romae institutum est ad morem Graeci certaminis, varia fama, ut cuncta ferme nova. Quippe erant, qui Cn. quoque Pompeium incusatum a senioribus ferrent, quod mansuram theatri sedem posuisset. Nam antea subitariis gradibus et scaena in tempus structa ludos edi solitos: vel si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse, ne, si consideret, theatro dies totos ignavia continuaret. Spectaculorum quidem antiquitas servaretur, quotiens praetores ederent, nulla cuiquam civium necessitate certandi. Ceterum abolitos paulatim patrios mores funditus everti per accitam lasciviam, ut, quod usquam corrumpi et corrumpere queat, in urbe visatur, degeneretque studiis externis iuventus, gymnasia et otia et turpes amores exercendo, principe et senatu auctoribus, qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant, ut proceres Romani specie orationum et carminum scaena polluantur. Quid superesse, nisi ut corpora quoque nudent et caestus adsumant easque pugnas pro militia et armis meditentur? An iustitiam auctum iri et decurias equitum egregium iudicandi munus expleturos, si fractos sonos et dulcedinem vocum perite audissent? Noctes quoque dedecori adiectas, ne quod tempus pudori relinquatur, sed coetu promisco, quod perditissimus quisque per diem concupiverit, per tenebras audeat."

---

[1] Hanc Graecorum mollitiam, de qua Scipio Nasica consul tam graviter dehortatur, ad sellas, quas spectatores ipsi secum tulissent, referendam esse verisimile non est, immo ad theatrum subselliis instructum. Etenim Graeci προσκεφάλαια secum ad ludos afferebant, quibus sedes in gradibus lapideis paratas commodiores redderent, non sellas.

[2] Cf. Augustini ea, quae subsequuntur (c. XXXI extrema, XXXII).

Digitized by Google

C. 21: „Pluribus ipsa licentia placebat, ac tamen honesta nomina praetendebant. Maiores quoque non abhorruisse spectaculorum oblectamentis pro fortuna, quae tum erat, eoque a Tuscis accitos histriones, a Thuriis equorum certamina, et possessa Achaia Asiaque ludos curatius editos, nec quemquam Romae honesto loco ortum ad theatrales artes degeneravisse, ducentis iam annis a L. Mummii triumpho, qui primus id genus spectaculi in urbe praebuerit. Sed et consultum parsimoniae, quod perpetua sedes theatro locata sit, potius quam immenso sumptu singulos per annos consurgeret ac destrueretur. Nec perinde magistratus rem familiarem exhausturos, aut populo efflagitandi Graeca certamina a magistratibus causam fore, cum eo sumptu res publica fungatur. Oratorum ac vatum victorias incitamentum ingeniis allaturas; nec cuiquam iudici grave aures studiis honestis et voluptatibus concessis impertire. Laetitiae magis quam lasciviae dari paucas totius quinquennii noctes, quibus tanta luce ignium nihil illicitum occultari queat. Sane nullo insigni dehonestamento id spectaculum transiit; ac ne modica quidem studia plebis exarsere, quia redditi quamquam scaenae pantomimi certaminibus sacris prohibebantur. Eloquentiae primas nemo tulit, sed victorem esse Caesarem pronuntiatum. Graeci amictus, quis per eos dies plerique incesserant, tum exoleverunt."

Haec cum partim (c. 20) eorum sint, qui certamen illud quinquennale Neroni dabant crimini, partim eorum (c. 21), qui minus severe de eo existimabant, utraque ad ludos a Nerone institutos spectant.

Alteri cur vehementer in Neronem invehcrentur, Pompeium proferebant, qui theatro primo eodemque stabili aedificato crimen luxuriae lasciviaeque non effugisset. Neque minus Neroni, qui quidem theatrum non exstruxisset,[1] opprobrio esse ludos illos, Neronia quae dicuntur certamina. Haec nulla re mutata translata Romam ex Graecia tum primum in publico edita ea

[1] Nullum enim opus ab hoc factum commemorant rerum scriptores nisi gymnasium quoddam; cf. Dio 61, 12; Sueton Nero 12; Tacitus c. 20.

Digitized by Google

ipsa de causa offensioni erant, quod genus ducebant a Graecis.[1] Etenim simul luxuria peregrina atque morum corruptio, omnis denique lues in populum Romanum quasi irrepere videbatur.[2] Luxuriae autem inservisse etiam Pompeium dicebant, cum primus theatri opus lapideum collocavisset. Hoc est, cur bis eius fiat hic mentio. Etenim ante eius aetatem subitarii gradus per annos singulos consurgebant ac destruebantur,[3] quin multo antea aliquamdiu stans populus spectabat ludos, „ne, si consideret, theatro dies totos ignavia continuaret.“[4] Sed antiqua illa spectacula, quippe quae aboleri non possent, relinquenda dixerunt viri illi antiqui, quibus tamen nemo Romanus interesse cogeretur. Nova agonum genera Romam ne transferrentur, quibus, praesertim musicis, adolescentes ut interessent, ipsi elicerentur. Nunc enim ad musicos, mox etiam ad gymnicos agonas eos descensuros patriosque mores penitus perituros esse.

Alteri, qui a Nerone starent, ne maiores quidem ludorum oblectamenta opponebant prorsus repudiavisse, sed quantum tum possent, accivisse a Tuscis histriones, a Thuriis equorum certamina, Achaia Asiaque possessa ludos edidisse curatius. Iam quid sibi velit illud „curatius“, quaeritur. Quod cum ad maiorem ludorum magnificentiam[5] spectare mihi videtur, tum ad novitatem ludorum generum, quae ab aliis populis, Tuscis, Thuriis, denique a Graecis ipsis erant Romam translata. Minime vero de commodiore[6] theatri structura hic agitur neque de temporis momento, quo ludi curatius sint editi, immo de ludis eorumque generibus universe.

---

1 Cf. Sueton Ner. 12: «Instituit et quinquennale certamen primus omnium Romae more Graeco triplex, musicum, gymnicum, equestre, quod appellavit Neronia;» cf. Tac. 20: «quinquennale ludicrum Romae institutum est ad morem Graeci certaminis, varia fama, ut cuncta ferme nova.»

2 Antea Graecorum certamina ut subsiciva a populo haud raro efflagitabantur. Cf. Mommsen, hist. Rom. III, 269. Tacit. c. 21.

3 Cf. Tacit. c. 21.

4 P. Cornelium Scipionem Nasicam in senatu ferentem audire nobis videmur: «ut scilicet remissioni animorum iuncta standi virilitas propria gentis Romanae esset». (Valer. Max. II, 4, 2.)

5 Cf. Tacit. c. 21: «pro fortuna, quae tum erat.»

6 Quod suspicatus est Ritschelius l. c. p. 228.

Digitized by Google

Iam vero transit oratio proprie ad ludorum quoddam genus certum et ad tempus, quo sit traductum hoc Romam: „nec quemquam Romae honesto loco ortum ad theatrales artes degeneravisse ducentis iam annis a L. Mummii triumpho, qui primus id genus spectaculi in urbe praebuerit.“ Hic quin de anno 146 a. Chr. n. agatur, dubium non esse potest. Sed quodnam est „id genus“, quaenam sunt illae artes theatrales? Hoc genus a theatro, id est a fabularum actione abhorrere in propatulo est neque vero quadrat ad equorum certamina, quippe quae iam supra sint commemorata; neque ad gymnica vel athletica, quae primum[1] anno 186 a. Chr. n. Romae edita sunt. Sed ne ad musica quidem quae dicuntur acroamata referendum est universe, quae Polybius iam anno 167 a. Chr. n. tribuit;[2] immo ad partem quandam horum: ad orationes et carmina. Conferantur enim, quae in priore capite leguntur: „ut proceres Romani specie *orationum et carminum scaena* polluantur“; et ea, quae succedunt; „si fractos *sonos* et dulcedinem *vocum* perite audissent?“ Haec illa Graeca certamina sunt saepe a populo efflagitata eademque, quae paullo infra iterum commemorantur.[3] Neque vero omittenda sunt, quae sequuntur: „*eloquentiae* primas nemo tulit, sed victorem esse Caesarem pronuntiatum.“[4]

Pergunt Neronis defensores et excusato Pompeio, qui re vera nihil novi intulerit, sed sumptus minuerit, Neronem quoque magistratibus decreta ex aerario pecunia sumptus ludorum minuisse neque quidquam periculi honestissima haec studia *oratorum ac vatum* allatura esse affirmant.

---

[1] Cf. Livius lib. XXXIX, 22, 1: «apparatos deinde ludos M. Fulvius, quos voverat Aetolico bello, fecit. Multi artifices ex Graecia venerunt honoris eius causa. Athletarum quoque certamen tum primo Romanis spectaculo fuit et venatio data leonum et pantherarum et prope huius saeculi copia ac varietate ludicrum celebratum est.»

[2] Cf. Polybius lib. XXX, 13 (ap. Ath. XIV, p. 615 A—E); qua de re infra p. 19 agam.

[3] Cf. c. 21: «aut populo efflagitandi Graeca certamina.»

[4] Cf. Sueton. l. c. 12: «et orationis quidem carminisque Latini coronam, de qua honestissimus quisque contenderat, ipsorum consensu concessam sibi recepit.»

Digitized by Google

Cum his Taciti, de quibus egimus, verbis componenda sunt haec Tertullianii de spectac. c. X: „initio theatrum proprie sacrarium Veneris est. Hoc denique modo id genus operis in saeculo evasit. Nam saepe censores nascentia cum maxime theatra destruebant moribus consulentes, quorum scilicet periculum ingens de lascivia providebant, ut iam hinc ethnicis in testimonium cedat sententia ipsorum nobiscum faciens et nobis in exaggerationum disciplinae etiam humanae praerogativa. Itaque Pompeius Magnus, solo theatro suo minor, cum illam arcem omnium turpitudinum exstruxisset, veritus quandoque memoriae suae censoriam animadversionem Veneris aedem superposuit et ad dedicationem edicto populum vocans non theatrum, sed Veneris templum nuncupavit, cui subiecimus, inquit, gradus spectaculorum. Ita damnatum et damnandum opus templi titulo praetexit et disciplinam superstitione elusit.“

Quae mirum quantum cum Tacito consentiunt: uterque refert nascentia theatra destructa, uterque mores rebus scaenicis depravatos, uterque theatrum stabile a Pompeio collocatum.

Atqui Tertullianum hausisse ex Suetonii libris, hunc ex Varrone satis inter viros doctos constat. [1]

Quae cum ita sint, et Tacitum illa debere Varroni conicere licet. Sed cum etiam Augusti aetate non deessent, qui et simplicitatem priorum temporum maioribus, quam aequum erat, laudibus efferrent et aequalium nimis premerent cum alia vitia tum luxuriam, nescio an non sit minus probabile haec tribuere tali scriptori, qualis fuit exempli gratia Fenestella, cuius de opere perdito egit Reitzensteinius in commentationibus Vahleno sacris a. 1900, p. 411—424.

Sed utut res se habet, id quidem dubium omnino non esse potest, quin ille, quem Tacitus est secutus, auctor post annum 55 a. Chr. n., ante annum 13 a. Chr. n. opus suum conscrip-

---

[1] Unus Noeldechenius (Philol. Suppl. VI. [a 1891/93] p. 748/49) Tertullianum, quae de Pompei theatro tradidit, ex Tacito eoque ipso sumpsisse suspicatus est, vix recte, ut opinor.

Digitized by Google

serit, quippe qui et Pompeii theatrum commemoret neque theatri faciat mentionem Marcelli.

Quae omnia cum ita se habeant, quam diu valuerit senatus illud consultum anno 154 a. Chr. n. factum, ex his Taciti verbis diiudicari prorsus nequit.

Sed satis mihi multa verba fecisse videor, ut id quidem demonstrarem Romanos iam ante annum 154 a. Chr. n. in theatro sedisse neque caruisse caveam subselliis.

Age porro, nunc exquiramus, quid de anno 167 a. Chr. n. memoriae prodiderit Polybius lib. XXX, 13 (ap. Ath. 14, 615 A-E). Ubi de ludis, qui dicuntur, triumphalibus, quos Anicius Graecos imitatus eo anno fecit, haec praebet: A. 167 a. Chr. n.

„*Λεύκιος δὲ Ἀνίκιος — ἀγῶνας ἐπιτελῶν τοὺς ἐκινικίους ἐν τῇ Ῥώμῃ παντὸς γέλωτος ἄξια πράγματα ἐποίησεν. μεταπεμψάμενος γὰρ τοὺς ἐκ τῆς Ἑλλάδος ἐπιφανεστάτους τεχνίτας, καὶ σκηνὴν κατασκευάσας μεγίστην ἐν τῷ κίρκῳ, πρώτους εἰσῆγεν αὐλητὰς ἅμα πάντας. — τούτους οὖν στήσας ἐπὶ τὸ προσκήνιον μετὰ τοῦ χοροῦ αὐλεῖν ἐκέλευσεν ἅμα πάντας. — ἔτι δὲ τούτων ἐκ παρατάξεως ἀγωνιζομένων ὀρχησταὶ δύο εἰσήγοντο μετὰ συμφωνίας εἰς τὴν ὀρχήστραν καὶ πυκταὶ τέσσαρες ἀνέβησαν ἐπὶ τὴν σκηνὴν μετὰ σαλπιγκτῶν καὶ βυκανητῶν.*“

Saltatores igitur in orchestram prodierunt et tibicines pugilesque[1] escendebant in scaenam. Ergo scaena erat locus superior orchestra. Hinc efficitur spectatores, siquidem omnes eos, qui in orchestra saltabant, conspicere potuerunt, fuisse superiores orchestra. Quod non intellegitur, nisi theatri cavea erat leniter acclivis eaque gradibus ornata. Iam concedes anno 167 a. Chr. n. fuisse Romae theatrum idque constitisse cum ex scaena orchestraque tum ex cavea.

Et ne haereas in eo, quod saltatores in orchestra eaque plana tum egerunt, componas velim Festum, qui sub voce „orchestra“ haec refert (ap. Muell. p. 181): „Or[chestra locus in scaena, in quo] antea qui nunc pla[nipedes dicuntur agebant, in quem] non admittebantur [histriones, nisi tantum inte]rim dum fabulae ex[plicarentur, quae sine ipsis] explicari non

[1] Cf. Terent. Hecyr. prol. II v. 25 sq.

Digitized by Google

potera[nt. Planipedes autem soccos non por]tabant, quo aequiore [habitu prodirent: quo factum, ut inde] nomen ducerent."

Atque convenit, quod Diomedes grammaticus III p. 490, 4 K. tradidit: „Quarta species est planipedis, qui Graece dicitur mimus, ideo autem Latine planipes dictus, quod actores pedibus planis, id est nudis, proscaenium introirent, non ut tragici actores cum cothurnis, neque ut comici cum soccis; sive quod olim non in suggestu scaenae, sed in plano orchestrae positis instrumentis mimicis actitabant."

Iam componas velim, quae Verrius Flaccus (Fest. p. 326 M) exhibet: „[. . qui n]unc ludi, scaenicos olim dicebant, quos primum fecisse C [—]lium M. Popillium M. [f., curules] aediles, memoriae [prodiderunt] historici. Solebant [his prodire mimi] in orchestra, dum [in scaena actus fa]bulae componeren]tur, cum gestibus ob]scaenis. „Salva res [est, dum cantat] senex," quare parasiti Apollinis in scaena dictitent, causam Verrius in I. V, quorum prima est P. littera, reddidit. Quod C. Sulpicio C. Fulvio coss. M. Calpurnio Pisone pr. urb. faciente ludos subito ad arma exierint nuntiato adventu hostium, victoresque in theatrum redierint solliciti, ne intermissi religionem adferrent instaurandique essent, inventum esse ibi C. Pomponium libertinum mimum magno natu, qui ad tibicinem saltaret."

Quae cum ita sint, liberae rei publicae temporibus actiones in orchestra insolitas non fuisse satis apparet. Quid autem quod anno 195 a. Chr. n. senatores locum statum in theatro accepisse dicuntur[1]. Orchestram non fuisse universam eum locum, sed partem eius eamque caveae proximam mihi quidem dissimile veri non videtur. Ac Ribbeckius l. c. p. 648 recte, ut opinor, hanc partem nominavit „primam caveam." Idemque non errat in eo, quod dicere pergit: „*Sehr glaublich, dass schon bisher faktisch als gute Sitte gegolten hatte, was jetzt als polizeiliche Massregel verordnet wurde*".[2] Velut senatores in

---

[1] Cf. Livii XXXIV, 44 et 54, Valerii Maximi II, 4, 3, de quibus infra fusius agam.

[2] Cf. Valerii Maximi IV, 5, 1: «nunquam quisquam ex plebe ante patres conscriptos in theatro spectare sustinuit.»

Digitized by Google

ludis circensibus, etsi certa et perpetua loca a Claudio[1] demum acceperunt, tamen seorsum dudum ante spectabant.

Iam pergamus strictimque tangamus locum, qui legitur apud Livium 41, 27, 5 (a. 174 a. Chr. n.): A.174a.Chr.n.

„Censores scaenam aedilibus praetoribusque praebendam locaverunt.“

Quibus ex verbis scaenam aedilibus et praetoribus, qua ad ludos apparandos uterentur, a censoribus anno 174 a. Chr. n. concessam fuisse lapideam Ritschelius l. c. p. 217 coniecit; neque iniuria, opinor. Quae num diu permanserit, traditum non est; tamen Ritschelius verba illa Taciti, quae supra iam dixi[2], haud scio an recte attulerit (annal. XIV, 20): „Nam antea subitariis gradibus et scaena in tempus structa edi ludos solitos.“ Hoc unum autem certe ex loco Liviano effici potest inde ab anno 174 a. Chr. n. omnibus ludis publicis scaenam resque scaenicas a censoribus datas esse, et caveam a magistratibus, qui ludos edebant, ipsis, quibus usque ad id, quod diximus, tempus, etiam cura scaenae erat delata, adiectam esse.

Sed gravissima sunt, quae Livius de anno 179 a. Chr. n. XI, 51, 3 tradidit. Nam theatrum hoc anno M. Aemilium Lepidum censorem locasse narrat verbis his: A.179 a.Chr.n.

„Theatrum et proscaenium ad Apollinis, aedem Iovis in Capitolio columnasque circa poliendas albo locavit.“

Hoc theatrum prope templum Apollinis situm Ritschelius l. c. p. 217 in adn. ludis Apollinaribus faciendis destinatum esse recte, ut opinor, suspicatus est. At vereor, ne non suo iure dixerit theatrum illud scaena quidem et cavea fuisse instructum, caruisse autem hanc gradibus. Totum enim theatrum et scaenam et caveam eamque gradibus ornatam verbis illis „theatrum et proscaenium“ et Livium et illum, quem adhibuit, auctorem comprehendisse equidem censeo. Hoc neque quidquam aliud significare posse haec verba paulo infra in epimetro ostendam.

---

[1] Cf. Sueton. Claud. 21. Livius quidem (I, 35) Valerio Antiate, ni fallor, usus illam separationem ipsi circi conditori tribuit.

[2] Cf. p. 14.

Digitized by Google

Ne hoc quidem theatrum, de quo agitur, fuisse ligneum, sed lapideum, quamqum disertis verbis non dictum est, tamen iure conici potest. Quod primum quidem apparet ex rerum contextu, quoniam opera, quae commemorat hic scriptor, omnia lapidibus struenda erant; accedit, quod censores ligneum opus ut vile locavisse dissimile est veri. Censores igitur anni 154 nihil aliud fecerunt, nisi ut pro theatro ligneo atque in tempus facto[1] lapideum[2] struerent idque perficerent, quod ante eos alii iam moliti erant.

A.195 a.Chr.n. Sed iam pervenimus ad id, quod proprie habemus propositum, demonstrare gradus iam ad Plauti tempora referendos esse. Qua in quaestione solvenda ex eo, quod anno 195 a. Chr. n. loca senatorum in ludis scaenicis a reliquis secreta sunt, nihil certi colligi potest; tamen quia ad rem a nobis disputatam pertinent, loci ad eam rem spectantes digni sunt, qui paucis illustrentur. Ac primum quidem respicias velim, quae leguntur apud Livium XXXIV, 44, 5: „Gratiam quoque ingentem apud eum ordinem (scil. senatores) pepererunt, quod ludis Romanis aedilibus curulibus imperarunt, ut loca senatoria secernerent a populo; nam antea in promiscuo spectarant.“

Ad eandem rem referenda sunt verba, quae leguntur ibidem XXXIV, 54: „Megalesia ludos scaenicos L. Atilius Serranus, L. Scribonius Libo aediles curules primi fecerunt. Horum aedilium ludos Romanos primum senatus a populo secretus spectavit praebuitque sermones, sicut omnis novitas solet, aliis tandem, quod multo ante debuerit, tributum existimantibus amplissimo ordini, aliis demptum ex dignitate populi, quidquid maiestati patrum adiectum esset interpretantibus, et omnia discrimina talia, quibus ordines discernerentur, et concordiae et libertatis aequae minuendae esse; ad quingentesimum [quin-

---

[1] Cf. Taciti ann. XIV, 21: «sed et consultum parsimoniae, quod perpetua sedes theatro locata sit potius quam immenso sumptu singulos per annos consurgeret ac destrueretur.»

[2] Cf. Orosium, qui Livium secutus l. c. (IV, 21, 4) haec praebet: «Eodem tempore censores theatrum lapideum construi censuerunt.»

Digitized by Google

quagesimum] octavum annum in promiscuo spectatum esse; quid repente factum, cur immisceri sibi in cavea patres plebem nollent? cur dives pauperem consessorem fastidiret?“

Eodem Valerii Maximi libri II, cap. 4 § 3 verba spectant: „Per quingentos autem et quinquaginta et octo annos senatus populo mixtus spectaculo ludorum interfuit. Sed hunc morem Atilius Serranus et L. Scribonius [Libo] aediles ludos Matri deum facientes, posterioris Africani sententiam secuti discretis senatus et populi locis solverunt.“

Hoc, quod dicitur exemplum, Valerium e Livii libris petivisse Zschechius[1] iam ostendit. Nam et eundem numerum annorum (558) uterque exibet auctor, neque quae apud Livium subsequuntur, universe cum Valerio discrepant, quamquam singulae res a Valerio relatae differunt a Livio.

Ac primum quidem Valerius, quod posteriorem Africanum commemorat Scipionem, errore[2] deceptus est, cum nemo nisi Publius Cornelius Scipio superior, qui dicitur, ad rerum contextum quadret. Tum de ludis, quibus loca senatoria primum a populo secreta sint, illi non consentiunt, cum apud Livium „ludis Romanis“, apud Valerium „aediles ludos Matri deum facientes“ legamus verba. Hoc incuriae tribuit Zschechius Valerii. Quem cum apud Livium XXXIV, 54 legisset Megalesia ludos scaenicos, quos Atilius Serranus et L. Scribonius Libo aediles curules primi fecissent, in errorem raptum verbis, quae succedunt „horum aedilium ludos Romanos“, novum illud institutum, qua esset levitate, non ad ludos Romanos, sed ad Megalesia rettulisse. Certe quod Zschechius coniecit, primo obtutu non dissimile veri esse videtur. Sed ut accuratius in rem inquiramus, ad Livii verba utraque redeamus, quae quantum praebeant offensionis, prorsus non latet. Ac primum quidem mirum profecto est, quod idem bis atque eodem in libro attingitur, et in capite 44 et 54, neque vero eodem modo exprimitur, ut eundem loqui auctorem non crederes. Nam loco

---

[1] Cf. «de Cicerone et Livio Valerii Maximi fontibus» 1865, p. 37.

[2] Idem P. Cornelius Scipio Africanus minor Aemilianus dicitur pro superiore V, 1, 7, at VIII, 15, 1 superior pro posteriore.

Digitized by Google

superiore verba simpliciter procedunt, loco inferiore non carent arte quadam rhetorica.

Accedit, quod numerus annorum, qui in Livii 34, 54 et Valerii Maximi II, 4, 3 exhibetur, „ad quingentesimum quinquagesimum octavum annum", „per quingentos et quinquaginta et octo" cum ceteris Livii rationibus non convenit, id quod Mommsenus in libro qui inscribitur „*die römische Chronologie bis auf Cäsar*", 1859, p. 120 sq. demonstravit.[1] Tum ne id quidem omiserim hos Livii et Valerii locos obstare solos Mommseni calculis.

Iam ut has, quas dixi, tollamus difficultates, hoc statuendum mihi esse videtur Livium, quae locis, de quibus agitur, memoriae prodidit, non ab uno eodemque petivisse auctore.

Hi igitur qui qualesque sint, quaeritur. Ac primum quidem ea, quae in XXXIV, 44 narrantur, haud scio an originem ducant a tabulis publicis iisque, quae cum a censoribus conficerentur, dicebantur censoriae.[2] Hi ut tributum imponendum, vectigalia exigenda, ita et vias sternendas et aedificia publica velut basilicas, theatra locanda in tabulas suas referebant neque vero

---

[1] Cuius verba ipsa afferre liceat: «*Die Rechnung der Chroniken stimmt mit der Jahrtafel bis zum varronischen Jahr derselben 304, ist dann bis 420 ihr um 1 Jahr voraus, stimmt wieder bis 429 und bleibt darauf bis 444 um 1, bis 452 um 2, seit 454 um 3 Jahre hinter der Jahrtafel zurück Mit diesen . . Ansätzen stimmen die Jahrzahlen bei Livius mit einer einzigen Ausnahme vollständig überein.*

Das varronische Jahr 364 ist bei Livius (5, 54) 365; das Jahr 399 ist 400 (7,18); . . . das Jahr 505 ist 502 (ep. 49); das Jahr 554 ist 551 (31, 5); . . . . Die einzige Stelle, die sich diesem System nicht fügt, ist Liv. 34, 54 (daraus Val. Max. 2, 4, 3), wo mit den Worten «ad annum quingentesimum [quinquagesimum] octavum» *das varronische Jahr 560 bezeichnet wird. Ob hier 558 für 557 verrechnet oder verschrieben ist, bleibt dahingestellt; die Regel steht fest.*»

[2] Soltau Philol. LII, 669, 695 et Peter Fragm. Hist. p. 254 (ad Antiat. frg. 37) ea, quae in XXXIV, 44 inveniuntur, deberi coniecerunt Antiati. Quod si illi non errarent, consentaneum esset tabulas illas publicas referri ad Antiatem omnes. Atqui obstat XLI, 27, 2, quoniam verbis «*et, ut* Valerius Antias tradit» comprobatur ab Antiate nihil sumptum esse nisi verba «censors etiam censoris».

Digitized by Google

ludos publicos faciendos, qui aedilibus ad maiores magistratus capessendos magni erant momenti, oblivioni dabant, cum vel sartorum tectorum facerent in tabulis mentionem. Iis tabulis vel ipsis vel, id quod probabilius equidem duco, ab alio scriptore iam excerptis Livium usum esse in historiis quae dicuntur conscribendis verisimile est. Hoc nescio an ea re firmetur, quod cum in Livii libri XXXIV cap. 44, tum multis aliis locis, quos paullo infra sum allaturus, certus quidam ordo conservatur. Nam primum quidem comitia habita commemorantur, tum nomina eorum, qui honoribus digni a populo Romano putati sunt, denique opera unicuique attributa.

Iam audias velim Livium ipsum. Ac primum cf. XXXI, 4, 4: „Per eos dies P. Aelio consule comitia habente creati consules P. Sulpicius Galba, C. Aurelius Cotta. Praetores exinde facti Q. Minucius Rufus, L. Furius Purpurio, ... Ludi Romani scaenici eo anno magnifice apparateque facti ab aedilibus curulibus L. Valerio Flacco et L. Quinctio Flaminino. Biduum instauratum est. Frumentique vim ingentem, quod ex Africa P. Scipio miserat, quaternis aeris populo cum summa fide et gratia diviserunt. Et plebei ludi ter toti instaurati ab aedilibus plebi L. Apustio Fullone et Q. Minucio Rufo, qui ex aedilitate praetor creatus erat.“

Item cf. XXXVIII, 28, 1 sq.: „Censores Romae T. Quinctius Flamininus et M. Claudius Marcellus senatum legerunt. Princeps in senatu tertium lectus P. Scipio Africanus; quattuor soli praeteriti sunt, nemo curuli usus honore. Et in equitatu recensendo mitis admodum censura fuit. Substructionem super Aequimaelium in Capitolio et viam silice sternendam a porta Capena ad Martis locaverunt.“

Cf. XL, 51: „Censores fideli concordia senatum legerunt. Princeps lectus est ipse censor M. Aemilius Lepidus pontifex maximus; tres electi de senatu; retinuit quosdam Lepidus a collega praeteritos. Opera ex pecunia attributa divisaque inter se haec confecerunt. Lepidus molem ad Tarracinam, ingratum opus, quod praedia habebat ibi privatamque publicae rei inpensam inseruerat; theatrum et proscaenium ad Apollinis, aedem Iovis in Capitolio columnasque circa poliendas albo

Digitized by Google

locavit; et ab his columnis, quae incommode opposita videbantur, signa amovit clipeaque de columnis et signa militaria adfixa omnis generis dempsit. M. Fulvius plura et maioris locavit usus, portum et pilas pontis in Tiberim, quibus pilis fornices post aliquot annos P. Scipio Africanus et L. Mummius censores locaverunt imponendos; basilicam post argentarias novas et forum piscatorium circumdatis tabernis, quas vendidit in privatum." Cf. ea, quae succedunt.

Cf. XLI, 27: „Censores eo anno creati Q. Fulvius Flaccus et A. Postumius Albinus legerunt senatum; princeps lectus M. Aemilius Lepidus pontifex maximus. De senatu novem eiecerunt. Insignes notae fuerunt M. Corneli Maluginensis, qui biennio ante praetor in Hispania fuerat, et L. Corneli Scipionis praetoris, cuius tum inter civis et peregrinos iurisdictio erat, et L. Fulvi, qui frater germanus et, ut Valerius Antias tradit, consors etiam censoris erat.... Censores vias sternendas silice in urbe, glarea extra urbem substruendas marginandasque primi omnium locaverunt, pontesque multis locis faciendos; et scaenam aedilibus praetoribusque praebendam, et carceres in circo...."

Cf. XLII, 10: „Eo anno lustrum conditum est; censores erant Q. Fulvius (Flaccus, A. Postumius) Albinus; Postumius condidit. Censa sunt civium Romanorum capita ducenta . . . Omnis, quos senatu moverunt quibusque equos ademerunt, aerarios fecerunt et tribu moverunt, neque ab altero notatum alter probavit. Fulvius aedem Fortunae equestris, quam proconsul . . . voverat, annis sex, postquam voverat, dedicavit, et scaenicos ludos per quadriduum, unum diem in circo fecit."

Cf. XLIII, 14—16; cf. XXXIX, 40; 42, 5; 44, 1—8:

Quae exempla multis augeri possunt. Sed nemini quin res plane ita se habeat, iam dubii quicquam restabit vel paucis, quos attuli, locis comparatis. [1]

---

[1] Quin etiam conicere ausim reliquos locos omnes, quibus Livius de Romanorum rebus scaenicis agit, eodem referendos esse, ad tabulas illas, quas dixi publicas. Neque vero quidquam est, cur harum diffidas fidei. Hoc aliquatenus etiam de VII, 2 valere dixerim, ubi ludos scaenicos anno 365 a. Chr. n. primum Romae editos esse traditur verbis his: «Et hoc et insequenti anno C. Sulpicio Petico, C. Licinio Stolone consulibus pestilentia

Digitized by Google

Sed ut unde digressa est, eo redeat oratio, transeamus ad alterum locum, qui legitur apud Livium XXXIV, 54, et quo ab auctore haec sit profecta, videamus. Ac primum quidem enuntiatum „Megalesia ludos scaenicos L. Atilius Serranus, L. Scribonius Libo aediles curules primi fecerunt" a ceteris segregandum videtur; sed alterum „horum aedilium ludos Romanos primum senatus a populo secretus spectavit praebuitque sermones . . ." cui debeatur, alia est quaestio.[1]

Conferendus est Asconius commentator; hic ad verba Ciceronis, quae fuerunt: „P. Africanus ille superior dicitur non solum a sapientissimis hominibus, qui tum erant, verum etiam a se ipso saepe accusatus esse, quod, cum consul esset cum Ti. Longo, passus esset tum primum a populari consessu senatoria subsellia separari", hoc adnotat[2]: „Hoc factum est secundo consulatu Scipionis post septimum annum, quam Carthaginiensibus bello secundo data est pax. Factum id esse autem Antias tradit ludis Romanis quos fecerunt aediles curules (C.) Atilius Serranus, L. Scribonius Libo, et id eos fecisse iussu censorum Sex. Aeli Paeti, C. Corneli Cetegi."

---

fuit. Eo nihil dignum memoria actum, nisi quod pacis deum exposcendae causa tertio tum post conditam urbem lectisternium fuit. Et cum — ludi quoque scaenici — instituti dicuntur» cett. Haec quidem ipsis tabulis illis tribuenda mihi esse videntur. At ea, quae succedunt, «ceterum parva quoque —», cum ad ludos paullatim excultos pertineant, scriptori cuidam docto quin debeat Livius non est dubium, velut Varroni, qui in libris de originibus scaenicis, de actis scaenicis, de scaenicis actionibus haud scio an talia tetigerit.

Tum conferas velim XL, 51, ubi censorum anni 179 a. Chr. n. comitiis habitis opera unicuique attributa enumerantur et Lepidum censorem cum alia tum theatrum locasse Livius rettulit. Verba ipsa cf. in p. 25. Iam quae leguntur XLI, 27 (cf. p. 26), cur e tabulis illis sumpta non esse putem, non habeo.

[1] Hoc Madvigium non effugit, qui in opusc. acad. (1834) p. 103 sq. in adnot. locum, de quo agitur, temptabat, et sedium illam senatorum et plebis in theatro secretionem a Valerio Antiate et a Livio recte in ludis Romanis factam tradi, sed propter celebritatem Megalensium huius anni a Cicerone in or. de har. resp. c. 12 et Valerio Maximo l. c. ad eos translatam esse concecit. Sed quominus Madvigio adstipuler, obstat, ne sim multus, quod non tolluntur difficultates omnes. Strictim, ut postulabat locus, rem attigit Ribbeckius in «tragoedia Romana», p. 648.

[2] In Cornelianae enarratione orationis (ed. Kiessling-Schoell, p. 61).

Digitized by Google

Aedilcs curules, quorum nomina ab Asconio Valerium Antiatem auctorem secuto afferuntur, iidem sunt, quos Livius commemorat. Accedit, quod prorsus idem de ludis, quibus senatorum loca a plebis separata essent, uterque memoriae prodidit scriptor.

Valerio igitur Antiate etiam Livius usus est.

Iam respicias velim, quae Livius XXXVI, 36, § 4 et 5 exhibet: „Locaverant aedem faciendam ex senatus consulto M. Livius, C. Claudius censores M. Cornelio, P. Sempronio consulibus; tredecim annis post, quam locata erat, dedicavit eam M. Junius Brutus, ludique ob dedicationem eius facti, quos primos scaenicos fuisse Antias Valerius est auctor, Megalesia appellatos.“

Quibus ex verbis colligi potest Livium cum alia tum res scaenicas interdum a Valerio Antiate petivisse neque ei nimis confisum esse, denique prius enuntiatum loci, de quo agitur, (34, 54), non Valerio deberi. Etenim, quae XXXVI, 36 leguntur, cum nihil aliud significent nisi Megalenses ludos anno 191 a. Chr. n. primos omnium omnino scaenicos exstitisse, appellatos autem Megalesia, offensione non carent. Nam Valerium Antiatem hic summo in errore versari iam inde liquet, quod Livius ipse iam multis annis ante ludos scaenicos fuisse tradidit; cf. enim XXXI, 4, 5: „Ludi Romani scaenici eo anno magnifice apparateque facti ab aedilibus curulibus.“ (a. 201 a. Chr. n.) Item cf. XXXIII. 25, 1: „Ludi Romani eo anno in circo scaenaque ab aedilibus curulibus . . et magnificentius quam alias facti.“ (a. 196 a. Chr. n.) Cf. XXIV, 43.

Quae cum ita sint, quamquam universe re explanata difficultates non omnes sublatas esse haud infitior, tamen id iure collegisse mihi videor, quae a Livio (XXXIV, 54) de anno 558 vel potius 560 memoriae produntur, redire ad Valerium Antiatem.

Iam quid ex his, quos attulimus, locis de spectatorum condicione concludi possit, complectamur. Et Valerius Antias quidem atque Cicero iam tum certis subselliis usos esse spectatores omnes in theatri cavea persuasum habent, quippe qui

Digitized by Google

dicant popularem consessum et consessores. Neque vero discrepant tabulae, quae dicuntur censoriae, cum referant eo anno secreta esse a populo loca senatoria. Quae vix intelleguntur, si senatores in theatro ante id tempus stetissent, vel si sellas adhibuissent.

Sed Ritschelius (l. c. p. 216) Valerium Maximum nihil de sedentibus spectatoribus dicere affirmat; Ciceronis Asconiique verbis nihil probari contendit, nisi fortasse ea aetate usum sellarum iam satis pervulgatum fuisse; Livium aperte posterioris aetatis instituta ad pristina tempora rettulisse dicit. De Valerio Maximo non est, quod verbum addam. Ciceronem certe, etsi Antiate non usus est, eadem, quae Livium sensisse apparet. Respicias enim, quae Ciceronis leguntur apud Asconium l. c.: „P. Africanus . . passus esset tum primum a populari consessu senatoria *subsellia* separari"; item cf. quod Cicero de harusp. resp. 12, 24 refert: „nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri maiores ante templum in ipso Matris Magnae conspectu Megalesibus fieri celebrarique voluerunt? qui sunt more institutique maxime casti, sollemnes, religiosi, quibus ludis primum ante populi consessum senatui locum P. Africanus iterum consul ille maior dedit." Quibus cum verbis conferas exempli gratia orat. pro Sex. Roscio § 59: „Posteaquam invenit neminem eorum, qui possunt et solent, ita neglegens esse coepit, ut — vestro consessu et hoc conventu pro summa solitudine abuteretur. Peroravit aliquando, adsedit; surrexi ego." Conf. etiam, si tanti est, or. pro Milone § 1: „Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat."

Potuit certe fieri, ut et Valerius Antias et ignotus ille, quem Cicero sequitur auctor, propriae aetatis instituta ad pristina tempora revocarent. Sed argumentis hoc Ritschelio probandum erat. Nullum allatum video, nisi forte loco eiusdem, quem modo impugnavit, Ciceronis ex libro de amicitia 7, 24 petito pro argumento uti volumus, id quod fecit Ritschelius in praefatione p. XVIII. Verba Ciceronis haec sunt: „Qui clamores tota cavea nuper in hospitis et amici mei M. Pacuvi nova fabula; cum ignorante rege, uter Orestes

Digitized by Google

esset, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur, Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret. Stantes plaudebant in re ficta.“

Et verba „stantes plaudebant“ viros doctos „prorsus insolenter“ interpretatos esse „assurgentes“ Ritschelius contendit, cum ipse verba illa sic explicaret, quasi „spectantes plaudebant“ legeret. An putas Ciceronem „stantes“ tam insigni loco spectantium loco dicturum fuisse, si spectatores per totam fabulam stetissent? Accedit, quod dissimile est veri „stantes“ ad antiquam theatri speciem spectare vel Ciceronem „diligentissime et ad rerum veritatem accommodatissime“ edocere voluisse Laelii aetate spectatores non sedisse in theatro, sed stetisse. Immo sententia, quae hic desideratur, haec mihi esse videtur: spectatores in gradibus, qui sederant, velut incitati instinctique consurrexerunt. Quid sequitur? Stantes plaudebant. Quod novum non fuisse ut intellegas, conferas velim Ciceronis epist. ad Attic. l. II, 19, 3: „Inimici erant equitibus, qui Curioni stantes plauserant, hostes omnibus.“ Tum respicias Sueton. Aug. 56: „Eisdem praetextatis adhuc assurrectum ab universis in theatro et a stantibus plausum gravissime questus est.“

Quam ob rem eis, qui „stantes“ interpretati sunt „assurgentes“, quin adstipulemur facere non possumus.

Quae cum ita sint, ex his Ciceronis verbis nihil, ni fallor, certe colligitur.

Sed quae adhuc de spectatorum condicione disputavimus, ex parte non proprie ad Plauti ipsius aetatem spectare nemo est, quin intellegat. Quare operae pretium mihi esse videtur quaerere, num certiora petantur ex ipsius saeculi sexti litterarum monumentis. Plautinis enim fabulis ipsis, quae qualesque adhuc exstant, quid de hac re exhibeatur, iam exploremus et examinemus.

Digitized by Google

CAPUT ALTERUM.

De spectatorum in ludis scaenicis condicione testimonia Plautina.

Ut exordiamur ab iis versibus, quos ipse Ritschelius attulit, primum respicias Poenuli prologi v. 17 sq.:

„Scortum exoletum ne quod in proscaenio
Sedeat, neu lictor verbum aut virgae muttiant,
Neu dissignator praeter os obambulet,
Neu sessum ducat, dum histrio in scaena sit;
Diu qui domi otiosi dormierunt, decet
Animo aequo nunc stent, vel dormire temperent.
Servi ne obsideant, liberis ut sit locus,
Vel aes pro capite dent.“ [1]

Quae verba non quadrare nisi ad spectatores in subselliis sive gradibus sedentes Ritschelius iam recte cognovit. Nam hic nisi de certis spectaculorum gradibus ageretur, dissignator sessum ducens non fingeretur. Neque abhorret ab hac interpretatione, quod qui serius experrecti in tempore in theatro non adsunt, ultimis locis stant. Quis enim illos frustra locum quaerentes, ne considerent, impediret, si sellas secum tulissent? Accedit, quod servos subsellia occupare prologus non patitur. [2]

Tum conferas velim Amphitruonis prol. v. 65 sq.:

„Ut conquisitores singula in subsellia
Eant per totam caveam spectatoribus,
Si quoi favitores delegatos viderint,
Ut is in cavea pignus capiantur togae.“

Ne hos quidem versus explanari posse nemo non videt,

---

[1] Nec spectatores nec servos unquam Romae pecuniam pro spectandi vel sedendi copia solvisse Ritschelius iam recte demonstravit, l. c. p. 223.

[2] De hoc prologo paullo infra fusius agam.

Digitized by Google

Ne hoc quidem theatrum, de quo agitur, fuisse ligneum, sed lapideum, quamqum disertis verbis non dictum est, tamen iure conici potest. Quod primum quidem apparet ex rerum contextu, quoniam opera, quae commemorat hic scriptor, omnia lapidibus struenda erant; accedit, quod censores ligneum opus ut vile locavisse dissimile est veri. Censores igitur anni 154 nihil aliud fecerunt, nisi ut pro theatro ligneo atque in tempus facto [1] lapideum [2] struerent idque perficerent, quod ante eos alii iam molifi erant.

A.195 a.Chr.n. Sed iam pervenimus ad id, quod proprie habemus propositum, demonstrare gradus iam ad Plauti tempora referendos esse. Qua in quaestione solvenda ex eo, quod anno 195 a. Chr. n. loca senatorum in ludis scaenicis a reliquis secreta sunt, nihil certi colligi potest; tamen quia ad rem a nobis disputatam pertinent, loci ad eam rem spectantes digni sunt, qui paucis illustrentur. Ac primum quidem respicias velim, quae leguntur apud Livium XXXIV, 44, 5: „Gratiam quoque ingentem apud eum ordinem (scil. senatores) pepererunt, quod ludis Romanis aedilibus curulibus imperarunt, ut loca senatoria secernerent a populo; nam antea in promiscuo spectarant.“

Ad eandem rem referenda sunt verba, quae leguntur ibidem XXXIV, 54: „Megalesia ludos scaenicos L. Atilius Serranus, L. Scribonius Libo aediles curules primi fecerunt. Horum aedilium ludos Romanos primum senatus a populo secretus spectavit praebuitque sermones, sicut omnis novitas solet, aliis tandem, quod multo ante debuerit, tributum existimantibus amplissimo ordini, aliis demptum ex dignitate populi, quidquid maiestati patrum adiectum esset interpretantibus, et omnia discrimina talia, quibus ordines discernerentur, et concordiae et libertatis aequae minuendae esse; ad quingentesimum [quin-

---

[1] Cf. Taciti ann. XIV, 21: «sed et consultum parsimoniae, quod perpetua sedes theatro locata sit potius quam immenso sumptu singulos per annos consurgeret ac destrueretur.»

[2] Cf. Orosium, qui Livium secutus l. c. (IV, 21, 4) haec praebet: «Eodem tempore censores theatrum lapideum construi censuerunt.»

Digitized by Google

quagesimum] octavum annum in promiscuo spectatum esse; quid repente factum, cur immisceri sibi in cavea patres plebem nollent? cur dives pauperem consessorem fastidiret?"

Eodem Valerii Maximi libri II, cap. 4 § 3 verba spectant: „Per quingentos autem et quinquaginta et octo annos senatus populo mixtus spectaculo ludorum interfuit. Sed hunc morem Atilius Serranus et L. Scribonius [Libo] aediles ludos Matri deum facientes, posterioris Africani sententiam secuti discretis senatus et populi locis solverunt."

Hoc, quod dicitur exemplum, Valerium e Livii libris petivisse Zschechius[1] iam ostendit. Nam et eundem numerum annorum (558) uterque exibet auctor, neque quae apud Livium subsequuntur, universe cum Valerio discrepant, quamquam singulae res a Valerio relatae differunt a Livio.

Ac primum quidem Valerius, quod posteriorem Africanum commemorat Scipionem, errore[2] deceptus est, cum nemo nisi Publius Cornelius Scipio superior, qui dicitur, ad rerum contextum quadret. Tum de ludis, quibus loca senatoria primum a populo secreta sint, illi non consentiunt, cum apud Livium „ludis Romanis", apud Valerium „aediles ludos Matri deum facientes" legamus verba. Hoc incuriae tribuit Zschechius Valerii. Quem cum apud Livium XXXIV, 54 legisset Megalesia ludos scaenicos, quos Atilius Serranus et L. Scribonius Libo aediles curules primi fecissent, in errorem raptum verbis, quae succedunt „horum aedilium ludos Romanos", novum illud institutum, qua esset levitate, non ad ludos Romanos, sed ad Megalesia rettulisse. Certe quod Zschechius coniecit, primo obtutu non dissimile veri esse videtur. Sed ut accuratius in rem inquiramus, ad Livii verba utraque redeamus, quae quantum praebeant offensionis, prorsus non latet. Ac primum quidem mirum profecto est, quod idem bis atque eodem in libro attingitur, et in capite 44 et 54, neque vero eodem modo exprimitur, ut eundem loqui auctorem non crederes. Nam loco

---

[1] Cf. «de Cicerone et Livio Valerii Maximi fontibus» 1865, p. 37.

[2] Idem P. Cornelius Scipio Africanus minor Aemilianus dicitur pro superiore V, 1, 7, at VIII, 15, 1 superior pro posteriore.

Digitized by Google

superiore verba simpliciter procedunt, loco inferiore non carent arte quadam rhetorica.

Accedit, quod numerus annorum, qui in Livii 34, 54 et Valerii Maximi II, 4, 3 exhibetur, „ad quingentesimum quinquagesimum octavum annum", „per quingentos et quinquaginta et octo" cum ceteris Livii rationibus non convenit, id quod Mommsenus in libro qui inscribitur „*die römische Chronologie bis auf Cäsar*", 1859, p. 120 sq. demonstravit.[1] Tum ne id quidem omiserim hos Livii et Valerii locos obstare solos Mommseni calculis.

Iam ut has, quas dixi, tollamus difficultates, hoc statuendum mihi esse videtur Livium, quae locis, de quibus agitur, memoriae prodidit, non ab uno eodemque petivisse auctore.

Hi igitur qui qualesque sint, quaeritur. Ac primum quidem ea, quae in XXXIV, 44 narrantur, haud scio an originem ducant a tabulis publicis iisque, quae cum a censoribus conficerentur, dicebantur censoriae.[2] Hi ut tributum imponendum, vectigalia exigenda, ita et vias sternendas et aedificia publica velut basilicas, theatra locanda in tabulas suas referebant neque vero

---

[1] Cuius verba ipsa afferre liceat: «*Die Rechnung der Chroniken stimmt mit der Jahrtafel bis zum varronischen Jahr derselben 304, ist dann bis 420 ihr um 1 Jahr voraus, stimmt wieder bis 429 und bleibt darauf bis 444 um 1, bis 452 um 2, seit 454 um 3 Jahre hinter der Jahrtafel zurück Mit diesen . . Ansätzen stimmen die Jahrzahlen bei Livius mit einer einzigen Ausnahme vollständig überein.*

Das varronische Jahr 364 ist bei Livius (5, 54) 365; das Jahr 399 ist 400 (7,18); . . . das Jahr 505 ist 502 (ep. 49); das Jahr 554 ist 551 (31, 5); . . . . Die einzige Stelle, die sich diesem System nicht fügt, ist Liv. 34, 54 (daraus Val. Max. 2, 4, 3), wo mit den Worten «ad annum quingentesimum [quinquagesimum] octavum» *das varronische Jahr 560 bezeichnet wird. Ob hier 558 für 557 verrechnet oder verschrieben ist, bleibt dahingestellt; die Regel steht fest.*»

[2] Soltau Philol. LII, 669, 695 et Peter Fragm. Hist. p. 254 (ad Antiat. frg. 37) ea, quae in XXXIV, 44 inveniuntur, deberi coniecerunt Antiati. Quod si illi non errarent, consentaneum esset tabulas illas publicas referri ad Antiatem omnes. Atqui obstat XLI, 27, 2, quoniam verbis «*et, ut* Valerius Antias tradit» comprobatur ab Antiate nihil sumptum esse nisi verba «censors etiam censoris».

Digitized by Google

ludos publicos faciendos, qui aedilibus ad maiores magistratus capessendos magni erant momenti, oblivioni dabant, cum vel sartorum tectorum facerent in tabulis mentionem. Iis tabulis vel ipsis vel, id quod probabilius equidem duco, ab alio scriptore iam excerptis Livium usum esse in historiis quae dicuntur conscribendis verisimile est. Hoc nescio an ea re firmetur, quod cum in Livii libri XXXIV cap. 44, tum multis aliis locis, quos paullo infra sum allaturus, certus quidam ordo conservatur. Nam primum quidem comitia habita commemorantur, tum nomina eorum, qui honoribus digni a populo Romano putati sunt, denique opera unicuique attributa.

Iam audias velim Livium ipsum. Ac primum cf. XXXI, 4, 4: „Per eos dies P. Aelio consule comitia habente creati consules P. Sulpicius Galba, C. Aurelius Cotta. Praetores exinde facti Q. Minucius Rufus, L. Furius Purpurio, ... Ludi Romani scaenici eo anno magnifice apparateque facti ab aedilibus curulibus L. Valerio Flacco et L. Quinctio Flaminino. Biduum instauratum est. Frumentique vim ingentem, quod ex Africa P. Scipio miserat, quaternis aeris populo cum summa fide et gratia diviserunt. Et plebei ludi ter toti instaurati ab aedilibus plebi L. Apustio Fullone et Q. Minucio Rufo, qui ex aedilitate praetor creatus erat.“

Item cf. XXXVIII, 28, 1 sq.: „Censores Romae T. Quinctius Flamininus et M. Claudius Marcellus senatum legerunt. Princeps in senatu tertium lectus P. Scipio Africanus; quattuor soli praeteriti sunt, nemo curuli usus honore. Et in equitatu recensendo mitis admodum censura fuit. Substructionem super Aequimaelium in Capitolio et viam silice sternendam a porta Capena ad Martis locaverunt.“

Cf. XL, 51: „Censores fideli concordia senatum legerunt. Princeps lectus est ipse censor M. Aemilius Lepidus pontifex maximus; tres eiecti de senatu; retinuit quosdam Lepidus a collega praeteritos. Opera ex pecunia attributa divisaque inter se haec confecerunt. Lepidus molem ad Tarracinam, ingratum opus, quod praedia habebat ibi privatamque publicae rei inpensam inseruerat; theatrum et proscaenium ad Apollinis, aedem Iovis in Capitolio columnasque circa poliendas albo

Digitized by Google

locavit; et ab his columnis, quae incommode opposita videbantur, signa amovit clipeaque de columnis et signa militaria adfixa omnis generis dempsit. M. Fulvius plura et maioris locavit usus, portum et pilas pontis in Tiberim, quibus pilis fornices post aliquot annos P. Scipio Africanus et L. Mummius censores locaverunt imponendos; basilicam post argentarias novas et forum piscatorium circumdatis tabernis, quas vendidit in privatum.“ Cf. ea, quae succedunt.

Cf. XLI, 27: „Censores eo anno creati Q. Fulvius Flaccus et A. Postumius Albinus legerunt senatum; princeps lectus M. Aemilius Lepidus pontifex maximus. De senatu novem eiecerunt. Insignes notae fuerunt M. Corneli Maluginensis, qui biennio ante praetor in Hispania fuerat, et L. Corneli Scipionis praetoris, cuius tum inter civis et peregrinos iurisdictio erat, et L. Fulvi, qui frater germanus et, ut Valerius Antias tradit, consors etiam censoris erat.... Censores vias sternendas silice in urbe, glarea extra urbem substruendas marginandasque primi omnium locaverunt, pontesque multis locis faciendos; et scaenam aedilibus praetoribusque praebendam, et carceres in circo....“

Cf. XLII, 10: „Eo anno lustrum conditum est; censores erant Q. Fulvius (Flaccus, A. Postumius) Albinus; Postumius condidit. Censa sunt civium Romanorum capita ducenta . . . Omnis, quos senatu moverunt quibusque equos ademerunt, aerarios fecerunt et tribu moverunt, neque ab altero notatum alter probavit. Fulvius aedem Fortunae equestris, quam proconsul . . . voverat, annis sex, postquam voverat, dedicavit, et scaenicos ludos per quadriduum, unum diem in circo fecit.“

Cf. XLIII, 14—16; cf. XXXIX, 40; 42, 5; 44, 1—8:

Quae exempla multis augeri possunt. Sed nemini quin res plane ita se habeat, iam dubii quicquam restabit vel paucis, quos attuli, locis comparatis. [1]

---

[1] Quin etiam conicere ausim reliquos locos omnes, quibus Livius de Romanorum rebus scaenicis agit, eodem referendos esse, ad tabulas illas, quas dixi publicas. Neque vero quidquam est, cur harum diffidas fidei. Hoc aliquatenus etiam de VII, 2 valere dixerim, ubi ludos scaenicos anno 365 a. Chr. n. primum Romae editos esse traditur verbis his: «Et hoc et insequenti anno C. Sulpicio Petico, C. Licinio Stolone consulibus pestilentia

Digitized by Google

Sed ut unde digressa est, eo redeat oratio, transeamus ad alterum locum, qui legitur apud Livium XXXIV, 54, et quo ab auctore haec sit profecta, videamus. Ac primum quidem enuntiatum „Megalesia ludos scaenicos L. Atilius Serranus, L. Scribonius Libo aediles curules primi fecerunt" a ceteris segregandum videtur; sed alterum „horum aedilium ludos Romanos primum senatus a populo secretus spectavit praebuitque sermones . . ." cui debeatur, alia est quaestio.[1]

Conferendus est Asconius commentator; hic ad verba Ciceronis, quae fuerunt: „P. Africanus ille superior dicitur non solum a sapientissimis hominibus, qui tum erant, verum etiam a se ipso saepe accusatus esse, quod, cum consul esset cum Ti. Longo, passus esset tum primum a populari consessu senatoria subsellia separari", hoc adnotat[2]: „Hoc factum est secundo consulatu Scipionis post septimum annum, quam Carthaginiensibus bello secundo data est pax. Factum id esse autem Antias tradit ludis Romanis quos fecerunt aediles curules (C.) Atilius Serranus, L. Scribonius Libo, et id eos fecisse iussu censorum Sex. Aeli Paeti, C. Corneli Cetegi."

---

fuit. Eo nihil dignum memoria actum, nisi quod pacis deum exposcendae causa tertio tum post conditam urbem lectisternium fuit. Et cum — ludi quoque scaenici — instituti dicuntur» cett. Haec quidem ipsis tabulis illis tribuenda mihi esse videntur. At ea, quae succedunt, «ceterum parva quoque —», cum ad ludos paullatim excultos pertineant, scriptori cuidam docto quin debeat Livius non est dubium, velut Varroni, qui in libris de originibus scaenicis, de actis scaenicis, de scaenicis actionibus haud scio an talia tetigerit.

Tum conferas velim XL, 51, ubi censorum anni 179 a. Chr. n. comitiis habitis opera unicuique attributa enumerantur et Lepidum censorem cum alia tum theatrum locasse Livius rettulit. Verba ipsa cf. in p. 25. Iam quae leguntur XLI, 27 (cf. p. 26), cur e tabulis illis sumpta non esse putem, non habeo.

[1] Hoc Madvigium non effugit, qui in opusc. acad. (1834) p. 103 sq. in adnot. locum, de quo agitur, temptabat, et sedium illam senatorum et plebis in theatro secretionem a Valerio Antiate et a Livio recte in ludis Romanis factam tradi, sed propter celebritatem Megalensium huius anni a Cicerone in or. de har. resp. c. 12 et Valerio Maximo l. c. ad eos translatam esse concecit. Sed quominus Madvigio adstipuler, obstat, ne sim multus, quod non tolluntur difficultates omnes. Strictim, ut postulabat locus, rem attigit Ribbeckius in «tragoedia Romana», p. 648.

[2] In Cornelianae enarratione orationis (ed. Kiessling-Schoell, p. 61).

Digitized by Google

Aedilcs curules, quorum nomina ab Asconio Valerium Antiatem auctorem secuto afferuntur, iidem sunt, quos Livius commemorat. Accedit, quod prorsus idem de ludis, quibus senatorum loca a plebis separata essent, uterque memoriae prodidit scriptor.

Valerio igitur Antiate etiam Livius usus est.

Iam respicias velim, quae Livius XXXVI, 36, § 4 et 5 exhibet: „Locaverant aedem faciendam ex senatus consulto M. Livius, C. Claudius censores M. Cornelio, P. Sempronio consulibus; tredecim annis post, quam locata erat, dedicavit eam M. Junius Brutus, ludique ob dedicationem eius facti, quos primos scaenicos fuisse Antias Valerius est auctor, Megalesia appellatos.“

Quibus ex verbis colligi potest Livium cum alia tum res scaenicas interdum a Valerio Antiate petivisse neque ei nimis confisum esse, denique prius enuntiatum loci, de quo agitur, (34, 54), non Valerio deberi. Etenim, quae XXXVI, 36 leguntur, cum nihil aliud significent nisi Megalenses ludos anno 191 a. Chr. n. primos omnium omnino scaenicos exstitisse, appellatos autem Megalesia, offensione non carent. Nam Valerium Antiatem hic summo in errore versari iam inde liquet, quod Livius ipse iam multis annis ante ludos scaenicos fuisse tradidit; cf. enim XXXI, 4, 5: „Ludi Romani scaenici eo anno magnifice apparateque facti ab aedilibus curulibus.“ (a. 201 a. Chr. n.) Item cf. XXXIII. 25, 1: „Ludi Romani eo anno in circo scaenaque ab aedilibus curulibus . . et magnificentius quam alias facti.“ (a. 196 a. Chr. n.) Cf. XXIV, 43.

Quae cum ita sint, quamquam universe re explanata difficultates non omnes sublatas esse haud infitior, tamen id iure collegisse mihi videor, quae a Livio (XXXIV, 54) de anno 558 vel potius 560 memoriae produntur, redire ad Valerium Antiatem.

Iam quid ex his, quos attulimus, locis de spectatorum condicione concludi possit, complectamur. Et Valerius Antias quidem atque Cicero iam tum certis subselliis usos esse spectatores omnes in theatri cavea persuasum habent, quippe qui

Digitized by Google

dicant popularem consessum et consessores. Neque vero discrepant tabulae, quae dicuntur censoriae, cum referant eo anno secreta esse a populo loca senatoria. Quae vix intelleguntur, si senatores in theatro ante id tempus stetissent, vel si sellas adhibuissent.

Sed Ritschelius (l. c. p. 216) Valerium Maximum nihil de sedentibus spectatoribus dicere affirmat; Ciceronis Asconiique verbis nihil probari contendit, nisi fortasse ea aetate usum sellarum iam satis pervulgatum fuisse; Livium aperte posterioris aetatis instituta ad pristina tempora rettulisse dicit. De Valerio Maximo non est, quod verbum addam. Ciceronem certe, etsi Antiate non usus est, eadem, quae Livium sensisse apparet. Respicias enim, quae Ciceronis leguntur apud Asconium l. c.: „P. Africanus . . passus esset tum primum a populari consessu senatoria *subsellia* separari"; item cf. quod Cicero de harusp. resp. 12, 24 refert: „nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri maiores ante templum in ipso Matris Magnae conspectu Megalesibus fieri celebrarique voluerunt? qui sunt more institutique maxime casti, sollemnes, religiosi, quibus ludis primum ante populi consessum senatui locum P. Africanus iterum consul ille maior dedit." Quibus cum verbis conferas exempli gratia orat. pro Sex. Roscio § 59: „Posteaquam invenit neminem eorum, qui possunt et solent, ita neglegens esse coepit, ut — vestro consessu et hoc conventu pro summa solitudine abuteretur. Peroravit aliquando, adsedit; surrexi ego." Conf. etiam, si tanti est, or. pro Milone § 1: „Non enim corona consessus vester cinctus est, ut solebat."

Potuit certe fieri, ut et Valerius Antias et ignotus ille, quem Cicero sequitur auctor, propriae aetatis instituta ad pristina tempora revocarent. Sed argumentis hoc Ritschelio probandum erat. Nullum allatum video, nisi forte loco eiusdem, quem modo impugnavit, Ciceronis ex libro de amicitia 7, 24 petito pro argumento uti volumus, id quod fecit Ritschelius in praefatione p. XVIII. Verba Ciceronis haec sunt: „Qui clamores tota cavea nuper in hospitis et amici mei M. Pacuvi nova fabula; cum ignorante rege, uter Orestes

Digitized by Google

esset, Pylades Orestem se esse diceret, ut pro illo necaretur, Orestes autem, ita ut erat, Orestem se esse perseveraret. Stantes plaudebant in re ficta.“

Et verba „stantes plaudebant“ viros doctos „prorsus insolenter“ interpretatos esse „assurgentes“ Ritschelius contendit, cum ipse verba illa sic explicaret, quasi „spectantes plaudebant“ legeret. An putas Ciceronem „stantes“ tam insigni loco spectantium loco dicturum fuisse, si spectatores per totam fabulam stetissent? Accedit, quod dissimile est veri „stantes“ ad antiquam theatri speciem spectare vel Ciceronem „diligentissime et ad rerum veritatem accommodatissime“ edocere voluisse Laelii aetate spectatores non sedisse in theatro, sed stetisse. Immo sententia, quae hic desideratur, haec mihi esse videtur: spectatores in gradibus, qui sederant, velut incitati instinctique consurrexerunt. Quid sequitur? Stantes plaudebant. Quod novum non fuisse ut intellegas, conferas velim Ciceronis epist. ad Attic. l. II, 19, 3: „Inimici erant equitibus, qui Curioni stantes plauserant, hostes omnibus.“ Tum respicias Sueton. Aug. 56: „Eisdem praetextatis adhuc assurrectum ab universis in theatro et a stantibus plausum gravissime questus est.“

Quam ob rem eis, qui „stantes“ interpretati sunt „assurgentes“, quin adstipulemur facere non possumus.

Quae cum ita sint, ex his Ciceronis verbis nihil, ni fallor, certe colligitur.

Sed quae adhuc de spectatorum condicione disputavimus, ex parte non proprie ad Plauti ipsius aetatem spectare nemo est, quin intellegat. Quare operae pretium mihi esse videtur quaerere, num certiora petantur ex ipsius saeculi sexti litterarum monumentis. Plautinis enim fabulis ipsis, quae qualesque adhuc exstant, quid de hac re exhibeatur, iam exploremus et examinemus.

Digitized by Google

CAPUT ALTERUM.

De spectatorum in ludis scaenicis condicione testimonia Plautina.

Ut exordiamur ab iis versibus, quos ipse Ritschelius attulit, primum respicias Poenuli prologi v. 17 sq.:

„Scortum exoletum ne quod in proscaenio
Sedeat, neu lictor verbum aut virgae muttiant,
Neu dissignator praeter os obambulet,
Neu sessum ducat, dum histrio in scaena sit;
Diu qui domi otiosi dormierunt, decet
Animo aequo nunc stent, vel dormire temperent.
Servi ne obsideant, liberis ut sit locus,
Vel aes pro capite dent.“ [1]

Quae verba non quadrare nisi ad spectatores in subselliis sive gradibus sedentes Ritschelius iam recte cognovit. Nam hic nisi de certis spectaculorum gradibus ageretur, dissignator sessum ducens non fingeretur. Neque abhorret ab hac interpretatione, quod qui serius experrecti in tempore in theatro non adsunt, ultimis locis stant. Quis enim illos frustra locum quaerentes, ne considerent, impediret, si sellas secum tulissent? Accedit, quod servos subsellia occupare prologus non patitur. [2]

Tum conferas velim Amphitruonis prol. v. 65 sq.:

„Ut conquisitores singula in subsellia
Eant per totam caveam spectatoribus,
Si quoi favitores delegatos viderint,
Ut is in cavea pignus capiantur togae.“

Ne hos quidem versus explanari posse nemo non videt,

---

[1] Nec spectatores nec servos unquam Romae pecuniam pro spectandi vel sedendi copia solvisse Ritschelius iam recte demonstravit, l. c. p. 223.

[2] De hoc prologo paullo infra fusius agam.

Digitized by Google

nisi, ut suo iure Ritschelius, spectatores in gradibus sedisse ponat.[1]

Iam videas Captivorum prol. v. 10 sq.:

„Iam hoc tenetis? optumumst.
Negat hercle ille ultimus: abscedito.[2]
Si non ubi sedeas locus est, est ubi ambules.“

Hi igitur loci quin ad spectatores in theatri gradibus sedentes pertineant, dubitari omnino non potest. Quod Ritschelius rectissime intellexit. Sed cum Plauti aetate gradus in cavea theatri nondum exstructos esse praeiudicata opinione sibi persuasisset, mirum non est, quod, qua erat iudicii sagacitate et constantia, hos prologos spurios et initio septimi u. c. saeculi, cum repeterentur fabularum actiones, retractatos esse censuit.

Atque profecto dubitari non potest, quin e numero prologorum, quos nunc habemus, quidam vel partes quaedam Plauti ipsius non sint, quod aut eius, qui profert prologum, verbis perspicue dicitur[3] aut apparet ex diversis et inter se repugnantibus partibus.[4] Tamen cur hi ipsi, de quibus agitur, prologi tam recenti aetati tribuendi sint — aliquanto enim post annum a. Chr. n. 150 compositi esse deberent — equidem nondum video. Etenim ea, quibus Ritschelius quique eum sequebantur viri

---

[1] Vides me accedere Ritschelio (l. c. p. 221) scripturam ab optimis codicibus traditam «singuli» reicienti ac «singula» proponenti. Neque enim singuli conquisitores erant singulis subselliis, sed nonnulli per totam caveam gradus singulos circumibant.

[2] Ritschelius quidem (l. c. p. 222) scripturam a libris traditam «accedito» defendere conatus est ultimum illum in theatri praecinctione stare et ab histrione invitari ratus, ut propius accederet; cui etiamsi sedendi locus non esset, tamen in praecinctione potestatem datam esse inambulandi: «*Aber dafür hast du den schönsten Platz zum Spazierengehen.*» Quod equidem probare non possum. Neque enim «ambulare» hic tam significat in cavea ipsa quam foris inambulare vel abscedere. Quamobrem Rostius suo iure «abscedito» legi maluit, (Bentleius: «discedito»), quod neque a codicibus multum dissidet neque sana caret sententia.

[3] Cf. Casinae prologum.

[4] Cf. Menaechmorum prologum.

Digitized by Google

doctissimi,[1] plerumque usi sunt, argumenta ex prolixo dicendi genere molestisque verborum ambagibus petita infregerunt ex parte iam Trautweinius[2] et Frantzius[3] atque refutavit utroque et plenior et doctior Leo,[4] qui plurima, in quibus haeserunt viri docti, ex ipsis Graecorum exemplaribus profecta esse gravissimis ostendit argumentis. Probavit hoc nuper papyrus illa Argentinensis, quam ediderunt Georgius Kaibel[5] et Ricardus Reitzenstein,[6] ita ut, quin maxima horum prologorum pars ad ipsum poetam Sarsinatem redeat, dubitari iam nequeat, cui si unus ex tribus illis locis aliquo iure tribuitur, acta est res.

Sed accedunt alia testimonia multa cum ex prologis tum ex fabulis Plautinis ipsis petita, quae ad hanc meam quaestionem pertinere videntur, quaeque singulatim considerata parum sane valere, una et simul cum versibus, quos supra protulimus, recensita argumentationis meae vim atque probabilitatem valde augere existimo.

Primum respicias velim Militis glor. prol. v. 81—83,[7] ubi Palaestrio servus post primam scaenam prodit spectatoribus argumentum enarraturus eos, qui audire nolunt, melius esse cavea excedere dicit verbis his:

---

[1] Cf. G. A. B. Wolff «de prologis Plautinis» progr. schol Guben 1812; Liebig «de prologis Terentianis et Plautinis» progr. schol. Goerlitz 1859; C Dziatzko «de prologorum Terentianorum et Plautinorum quaestiones selectae» Bonn 1863; id. «*über die plautin. Prologe*», «*Allgem. Gesichtspunkte*», *Luzern 1867*; de Boltenstern «de rebus scaenicis Romanis quaestiones selectae, Strals. 1875. Martins «quaestiones Plautinae» . . . Halis Sax. 1879.

[2] Trautwein, «de prologorum Plautinorum indole atque natura» 1890.

[3] W. Frantz «de comoediae Atticae prologis», Argentorati 1891.

[4] Leo, «*Plautinische Forschungen*» 1895, p. 170 sq.

[5] In «*Nachrichten der Gött. Gesellsch. d. Wiss.*» 1899, p. 549 sq.

[6] In «Hermes» XXXV (a. 1900) p. 622 sq. (*Aus der Strassburger Papyrussammlung.*)

[7] Hunc ne scrupulosissimi quidem censores prologum in suspicionem, ne sit spurius, adducere potuerunt, quippe qui in fabulae, qui dicitur, textum ipsum sit insertus.

Digitized by Google

„Qui autem auscultare nolet, exsurgat foras,
Ut sit, ubi sedeat ille, qui auscultare volt.
Nunc qua adsedistis causa in festivo loco . . .“

His versibus fere evincitur sedisse certis subselliis spectatores eosque non partim, sed omnes. Plane idem videtur hic in theatro esse atque sedere atque is qui audire vult locum demit ei qui vult neque habet, ubi sedeat.

Eadem fere est ratio verborum quae leguntur in Epidici fine, ubi gregi haec verba tribuuntur: (v. 733.)

„Plaudite et valete, lumbos porgite atque exsurgite.“

Verba „lumbos porgite atque exsurgite“ intellegi non possunt, nisi fabulae spectatores sedisse statuamus omnes.

Idem valent verba, quibus histrio spectatores alloquitur in Truculenti fabulae, v. 968:

„Spectatores bene valete, plaudite atque exsurgite,“

neque discrepant verba e prologo Pseudoli servata:

„Exporgi meliust lumbos atque exsurgier;
Plautina longa fabula in scaenam venit.“ [1]

Iam respiciendi sunt nonnulli loci, qui mediis ex fabulis ipsis petiti offensioni omnino non sunt.

In Poenuli fabulae v. 1224 Agorastacles adulescens Hannonem Poenum, ut iocandi finem faciat, hortatur verbis his:

---

[1] Quae verba a poeta Sarsinate profecta non esse iam Wolffius l. c. ex addita voce «Plautina» recte cognovit. Hoc etiam Ritschelius intellexit; errare autem mihi videtur, quod (l. c. p. 233) legem certam sibi statuit, ad quam omnes prologos dirigere posse sibi visus est, cum sibi persuasisset omnes locos, quibus proprio suo nomine Plautus utitur, iam per se ipsos nulla adhibita consideratione ipsorum locorum et sententiarum contextus disceptatione Plauto abiudicandos esse. Qui hunc in errorem raptus est, quod locos Plautinos, quibus semper vel «Plautus» ipse vel «Maccius» vel «Plautina fabula» commemorantur, cum more Terentiano contulit, quo, ubicunque auctor de se verba facit, nunquam suo nomine utitur, sed semper generalem quandam notionem ut «poetam» eligit. Quod equidem probare omnino non possum, quoniam poetae nomen proprium nulli obnoxium esse offensioni puto, quamquam concedendum est locos eos, quibus adiectivum, quod dicunt, nomen ut «Plautina fabula» exstat, poetae aetatis posterioris tribuendos esse. Cf., quod hac de re dixerunt Dziatzko (in «quaest. sel.» p. 22 sq., in «*Allg. Gesichtsp.*», p. 2), et Trautweinius l. c. p. 23 sq.

Digitized by Google

„In pauca confer: sitiunt, qui sedent.“

Spectatores igitur fabulam spectantes omnes aut fere omnes sedisse apparet.

Minoris momenti duo sunt loci, alter ex Aulularia fabula petitus, ubi Euclio senex, postquam aulam auro completam, quam in luco Silvani absconderat, non reperit, furibundus sic adloquitur spectatores (vs. 717 sq.):

„Quid est? Quid ridetis? Novi omnes, scio fures esse hic complures,

Qui vestitu et creta occultant sese atque sedent quasi sint frugi“, alter ex Mercatore fabula petitus, ubi Acanthio servus et Charinus adulescens haec inter se disserunt (vs. 159 et 160):

„Ac. Quid id est igitur, quod vis? Ch. Dicam. Ac. Dice; Ch. at enim placide volo.

Ac. Dormientis spectatores metuis, ne ex somno excites?“

Neque quidquam aliud dicere vult poeta verbis his nisi quosdam dormientes ludis interfuisse, ergo sedisse in cavea.

Ad hos nonnulli versus accedere mihi videntur Poenuli. Conferas enim velim huius fabulae prologi v. 4 sq.:

„Audire iubet vos imperator histricus,

Bonoque ut animo sedeate in subselliis“; item cf. v. 9 sq.:

„Nam cui paratumst, quod edit, nostra gratia

Nimia est stultitia sessum inpransum incedere.

Exsurge, praeco, fac populo audientiam“;

v. 15: „Age nunc reside, duplicem ut mercedum feras.“ [1]

Itaque, ut rem paucis complectar, et in prologis subsellia commemorantur et ex ultimis fabularum verbis sedisse populum apparet, et in ipsis fabulis ii, qui spectant, dicuntur „qui sedent.“ Nihil in Plauti comoediis, nihil apud rerum scriptores invenitur, cur in gradibus sive certis subselliorum ordinibus eos consedisse neges. Nihil denique est, cur Romam cum ipsis Graecorum fabulis theatri quandam speciem translatam esse non credamus.

---

[1] Praeconi non in scaena potestatem fuisse sedendi, immo in cavea dissimile non est veri.

Digitized by Google

Epimetrum

ad. p. 21.

Supra p. 21 dixi Livii (XL, 51, 3) verbis „theatrum et proscaenium“ nullam subiciendam esse vim nisi totius theatri operis et scaena et cavea gradibusque instructi. Quo theatro quid factum sit, etsi nescimus, rem ipsam tamen summi momenti esse ad eam, de qua agimus, quaestionem diiudicandam quivis concedet. Quare diligentius exponere liceat, quae vis sit verbis „theatrum et proscaenium“ subiecta.

Atque Ritschelius quidem proscaenium valere idem quod scaenam theatri ideoque theatrum nihil aliud intellegi posse nisi caveam, quod Graeci angustius dixissent „θέατρον“, statuit. Qui eandem vim tituli apud Orellium 3303 (C. I. L. XI, 2710) verbis „theatrum et proscaenium“ subiecit eodemque modo interpretatus est tituli 5047 (C. I. L. II, 183) verba „proscaenium et orchestram“.

Refutare hanc sententiam studuit Fr. Wieselerus[1] ac demonstrare vim verbo „theatri“ a Ritschelio subiectam a dicendi more et Graecorum et Latinorum fere abhorrere. Hanc rem E. Reischius[2] cum nuper leviter tangeret, eandem fere sententiam quam Ritschelius protulit.[3] Sed ad rem ipsam transeamus. Ac primum quidem, quid valeat „theatri“ vox, videamus.

Apud Graecos, ut ab his, quos Romani secuti sunt, proficiscamur, antiquioribus temporibus, saeculo quinto, voca-

---

[1] In commentatione, quae inscribitur «*Griechisches Theater*» (*in Ersch und Grubers Realencyclopädie*) Sect. I, vol 83, p. 159 sq.).

[2] In libro, qui inscribitur «*Das griechische Theater*» (ed. Dörpfeld et Reisch) p. 276 sq.; cf. etiam Reischius in act. gymn. Austr. a 1887, p. 277.

[3] Cui A. Muellerus plerumque assentitur in libro, qui inscribitur «*Untersuchungen zu den Bühnenaltertümern*» 1898.

Digitized by Google

bulum „θέατρον“ solos spectatores[1] significat, deinde caveam,[2] postremo totum theatri aedificium,[3] nunquam, ni fallor, solam scaenam sive proscaenium. Quid quod „θέατρον“ etiam de gradibus stadii, ubi nulla est scaena, dicitur.[4] Neque discedunt ab hoc Graecorum more dicendi Romani. Apud hos enim verbum, de quo agitur, saepissime eos, qui spectabant ludos, spectatores, significat. Cf. Ciceron. Tuscul. disp. I, 106: „Haec cum pressis et flebilibus modis, qui totis theatris maestitiam inferant, concinantur, difficile est, non eos, qui inhumati sint, miseros iudicare.“ Cf. Quintilian. de institut. orat. 1, 6, 45; 6, 1, 52; item Juvenal. 11, 3. Totius aedifidii subiecta est vis verbo in Plauti Pseudol. fab. v. 1080:

„Quid ait? quid narrat? quaeso, quid dixit tibi?
Nugas theatri, verba, quae in comoediis
Solent lenoni dici.“

Theatrum hic caveam significare non posse nemo non videt. Neque de scaena ipsa ita dictum esse hoc loco verbum illud puto, sed de toto opere. Sed scaenae tantum vim inesse in voce illa fieri non potest, ut exemplis probetur, ut nihil dicam de nonnullis testimoniis e poetis vel scriptoribus[5] posterioribus, quibus nihil aut non multum tribuo.

Quod autem Wieselerus timet, ut theatrum possit valere idem quod cavea, quin ei assentiar, fieri omnino non potest. Immo

---

[1] Cf. Herodot VI, 21: «καὶ δὴ καὶ ποιήσαντι Φρυνίχῳ δρᾶμα Μιλήτου ἅλωσιν καὶ διδάξαντι ἐς δάκρυα ἔπεσε τὸ θέητρον.» Item cf. Cratin. frg. 329, I, p. 110 K: «καὶ τῷ θεάτρῳ τότε νοσῆσαι τὰς φρένας.» Cf. Aristophan. Ach. 629; Eq. 233, 508; Pac. 735.

[2] Cf. B. C. II. XVIII. 1894. p. 164 sq. (tabulae Deliae): «ἡ δίοδος ἡ ἐν τῷ θεάτρῳ», ubi «δίοδος» idem est, quod «διάζωμα»; ib.: «τῆς [λιθείας] τῆς εἰς τὰς κρηπῖδας ἐν τῷ θεάτρῳ»; (a. 269) ib.: «τῶν ὑλικῶν τῶν ἐν τῷ θεάτρῳ». (a. 250.)

[3] Cf. C. I. A. II, 573: «κατὰ τὰς συνθήκας περὶ τὸ θέατρον»; cf. Plut. Vit. X. Orat. VII, p. 841 c.: «τὸ ἐν Διονύσου θέατρον... ἐτελεύτησε»; cf. C. I. A. II, 392, 463 sq.

[4] Cf. C. I. A. II, 176 (a. 330/29): «καὶ νῦν ἐπιδέδωκεν εἰς τὴν ποίησιν τοῦ σταδίου καὶ τοῦ θεάτρου τοῦ Παναθηναικοῦ χίλια ζεύγη.»

[5] Cf. Isidor. orig. X, 253: »Scaenicus qui in theatro agit; theatrum enim scaena est.«

Digitized by Google

plerisque, quibus exstat verbum locis, caveam dicit scriptor. Componas enim velim Ciceronis locos hos: pro Flacco 7, 16: „Cum in theatro imperiti homines, rerum omnium rudes ignarique, consederant, tum bella inutilia suscipiebant“; Cato mai. § 63: „Quin etiam memoriae proditum est, cum Athenis ludis quidam in theatrum grandis natu venisset, magno consessu locum nusquam ei datum a suis civibus; de republ. III, 48: „in theatro et in curia res capitalis indicabant iidem.“

Sed ne contradicas, qua fuerit Livius dicendi consuetudine, non tam aliorum scriptorum quam eius ipsius verbis pervestigari posse, iam ex eo ipso omnes locos, quibus theatri mentionem facit, conferam, ut, quid iis de theatri vi exhibeatur, examinemus. Ac primum quidem conferas velim per. XLVIII, ubi haec leguntur: „cum locatum . . . theatrum exstrueretur . . . destructum est, populusque aliquamdiu stans ludos spectavit.“ Hic theatrum idem esse quod caveam colligi potest ex additis verbis „populusque aliquamdiu stans ludos spectavit“; neque est, quod opponas haec verba non ad ipsum Livium, sed ad epitomatorem redire. Agi enim hic cum de theatro toto tum maxime de cavea eiusque gradibus ex eorum rerum scriptorum, quos supra commemoravi, verbis, cum eadem de re atque Livius idque uberius agant, satis apparet.[1]

Item cf. libri XXIV, § 39 verba haec: „Postero die alii aliis locis ad obsidenda itinera claudendosque oppositi exitus; pars maxima super theatrum circaque, adsueti et ante spectaculo contionum, consistunt. Alii ad exitus theatri conferti obsistunt. Caeduntur Hennenses cavea inclusi.“

Verba „super theatrum“ et „ad exitus theatri“ ad caveam spectare mihi videntur. Neque offensioni est, quod cavea ipsa proprie dicitur, cum nihil velit auctor nisi variare orationem.

Tum de theatro verba facit Livius in libri XXXIII, cap. 28: „Luce prima contio frequens velut ex ante indicto aut voce praeconis convocata in theatro erat.“

---

[1] Disertis verbis Augustinus dicit l. c.: «caveam theatri senatum construere molientem — compescuit».

Digitized by Google

Quid? quod in libri XXXIX, cap. 49 leguntur haec: „Pars nuntios . . praemittunt . . . Philopoemenem captum adduci . . . Et priusquam appropinquare urbi satis scirent ad spectaculum omnes simul liberi ac servi . . effunduntur . . Aegre submoventes obvios intrare portam, qui adducebant Philopoemenem, potuerunt. Aeque conferta turba iter reliquum clauserat; et cum pars maxima exclusa a spectaculo esset, theatrum repente, quod propinquum viae erat, compleverunt, et, ut eo adduceretur in conspectum populi, una voce omnes exposcebant.“ Quae verba intellegi non possunt, nisi spectatores, ut Philopoemenem captum videre possint, quem in scaenam adduci volunt, caveae gradus complevisse ponamus.

Ultimo loco conferas velim libri XXXXI, cap. 20, § 6: „Tegeae theatrum magnificum e marmore facere instituit“ (scil. Antiochus Epiphanes.) Hic quoque de maxima theatri parte cogitari potest, de cavea sive gradibus.

Ex hisce apparet theatri verbum, apud Livium ubi occurrit, plerumque caveam intellegi voluisse scriptorem, interdum totum aedificium. Neque vero neglegendum est theatri partem eam, quae cum mansura esset stabilisque, maxime praecipueque erat spectanda, fuisse caveam[1], scaenam autem quaeque cum ea cohaerebant, minoris fuisse momenti.

Quae cum ita sint, etiam loco, a quo tota haec disputatio profecta est, „theatrum et proscaenium ad Apollinis“ verbo „theatri“ caveae vim esse subiciendam sine veritatis non est specie.

Sed afferre iam liceat locos eos, quibus ad „theatri“ vocem altera aedificii pars addita est, quique, cum maioris sint momenti, recte hac in re iudicasse me ostendant. Ac primum cf. C. I. L. XI, 3620 (Caere): „Theatrum sca(ena)“, ubi „theatri“ vox „scaenae“ opposita quin significet caveam, fieri omnino non potest.

---

[1] Cf. Taciti de Pompeii theatro (ann. XIV, 20) verba: «quod mansuram theatri sedem posuisset», ubi maximam gravissimamque theatri partem dicit scriptor. Item cf. Gellii X, 1: «Igitur Ennius recte, quod scripsit »Quintus pater quartum fit consul«, et Pompeius timide, quod in theatro, ne adscriberet «consul tertium» aut «tertio» extremas litteras non scripsit.»

Digitized by Google

Item cf. C. I. L. X, 833 et 834 (Pompeiis): „M. M. Holconii Rufus et Celer cryptam, tribunalia, thea(trum) s. p.“ Qua ex verborum collocatione satis apparet voce, de qua agitur, theatri partem quandam significari, scilicet caveam cum crypta tribunalibusque arte cohaerentem.

Iam respicias velim C. I. L. X, 1443 (Herculanei): „L. Annius L. f. Mammianus Rufus II vir quinq. theatr(um) orch(estram) s. p.“, et ib. 1444: — theatr. orchestr(am) de suo; cf. ib. 1445.

Denique videamus locos hos: act. lud. saec. v. 100:[1] „Ludique noctu sacrificio confecto sunt commissi in scaena, quoi theatrum adiectum non fuit, nullis positis sedilibus“; et ib. v. 152: „Ludis scaenicis dimissis h[—]iuxta eum locum, ubi sacrificium erat factum superioribus noctibus, et theatrum positum et sc[ae]na, metae positae quadrigaeque sunt missae . . .“

Hic „theatri“ vox „scaenae“, quantum cohaerentia docent, opposita non dubium est, quin significet caveam vel gradus subselliaque. Prima enim nocte ludi Latini ritu vetusto in scaena sola sine spectaculorum gradibus commisi sunt,[2] deinde et scaena et theatrum sive cavea posita sunt sedilibus completum.

Quodsi recte disputavimus, quid valeat „theatrum“, iam videamus, quae sit vis „proscaenii“ verbo subiecta. Profiscisamur rursus a Graecis. Apud hos enim „προσκήνιον“ et eam scaenae partem significat, quae spectatoribus est adversa, scilicet scaenae frontem,[3] et scaenam ipsam, scilicet locum, quo agebant

---

[1] In «Ephemer. epigr.» vol. VIII, p. 231 sq.

[2] Antiquissimis quidem temporibus eos, qui ludis intererant, stetisse Augusti aetate nonnulli viri docti crediderunt. Qua de re cf., quae dixi supra p. 13 ad Augustini verba.

[3] Cf. epistylium quod dicitur scaenae Oropi theatri his inscriptum litteris: «ἀ]γωνοθετήσας τὸ προσκήνιον καὶ τοὺς πίν[α κας. . .»; item cf. titulum Calymnae (Inscr. in the Brit. Mus. II, 231): «ἐπειδὴ Ἀρατόκριτος . . . αἰτεῖται τόπον ποτὶ τῷ θεάτρῳ, ὃς ἐστι ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἀπόλλωνος, ὥστε σκαν[ὰν καὶ] προσκάνιον κατασκευάξαι τῷ θεῷ πᾶσαν ἐντελῆ . . . . δεδόχθαι τᾷ βουλᾷ καὶ τῷ δάμῳ . . . δόμεν αὐτῷ τ[ὸν τό]πον τὸν ποτὶ τῷ θεάτρῳ ὃν αἰτεῖται, δεδόσθαι δὲ αὐτῷ καὶ ἀναγραφὰν τᾶς ἀναθέσεως ἐπὶ τοῦ προσκανίου τάνδ[ε]. Ἀρατό-

Digitized by Google

histriones.[1] Deinde videamus, quomodo proscaenii verbo usi sint Romani, et cum Livius ipse praeter locum, quem supra dixi (XL, 51), nusquam alibi hoc verbo utatur, ordiamur a Vitruvio, qui de architect. V, 6, 1 haec praebet: „Ibi finiatur scaenae frons, et ab eo loco per centrum parallelos linea ducatur, quae disiungat proscaenii pulpitum et orchestrae regionem.“ Vitruvius igitur extremum scaenae parietem appellat „scaenae frontem,“ locum autem, quo histriones agunt, „pulpitum proscaenii“, nos: „*erhöhte Bühne.*“[2]

κριτος Ἀριστίᾳ τὰν σκανὰν καὶ τὸ προσκάνιον στεφανοφορήσας Ἀπόλλωνι Δα[λίῳ]»; iam cf. titulum Patarensem C. I. G. 4283: «ἀνέθηκεν καὶ καθιέρωσεν τό τε προσκήνιον, ὃ κατεσκεύασεν ἐκ θεμελίων ὁ πατὴρ αὐτῆς . . . καὶ τὸν ἐν αὐτῷ κόσμον καὶ τὰ περὶ αὐτὸ καὶ τὴν τῶν ἀνδριάντων καὶ ἀγαλμάτων ἀνάστασιν καὶ τὴν τοῦ λογείου κατασκευὴν καὶ πλάκωσιν,» Cf. Plut. Lyc. 6: «ὅταν εἰς ἀγάλματα καὶ γραφὰς ἢ προσκήνια θέατρων ἢ στέγας βουλευτηρίων ἠσκημένας περιττῶς ἐκκλησιάζοντες ἀποβλέπωσι.»

1 Cf. titulum Troadis (ap. Schliemann, Troia p. 262): «συντετάχθαι περὶ τῶν χορ[ῶν] . . . κατασκευάσαι δὲ καὶ[τὸ] θέατρον . . . κατασκευάσαι δὲ καὶ τὸ προσκήνιον ὡς ἂν δοκῇ τοῖς ἀποδειχθεῖσι», ubi «προσκήνιον» et «θέατρον» sic inter se coniuncta totum quoddam efficiunt; iam cf. Phot. s. v. «τρίτος ἀριστεροῦ. ὁ μὲν ἀριστερὸς στοῖχος ὁ πρὸς τῷ θεάτρῳ ἦν, ὁ δὲ δεξιὸς ὁ πρὸς τῷ προσκηνίῳ», ubi verba, de quibus agitur, eodem modo inter se opposita sunt.

2 Cf. etiam Suetoni Ner. 11 et 26, ubi Neronem interdum e proscaenii superiore parte ludos spectavisse refert ille verbis his: c. 11: «Ludis, quos pro aeternitate imperii susceptos appellari maximos voluit, . . . sustinuerunt; notissimus eques R. elephanto superioribus per catadromum decucurrit; inducta Afrani togata, quae Incendium inscribitur, concessumque ut scaenici ardentis domus supellectilem diriperent ac sibi haberent; sparsa et populo missilia omnium rerum per omnes dies . . . Hos ludos spectavit e proscaenii fastigio»; et c. 26 leguntur haec: «Interdum quoque clam gestatoria sella delatus in theatrum seditionibus pantomimorum e parte proscaenii superiore signifer simul ac spectator aderat; et cum ad manus ventum esset lapidibusque et subselliorum fragminibus decerneretur, multa et ipse iecit in populum, atque etiam p aetoris caput consauciavit». Reischius l. c. (Muellero l. c. assentiente) hic Neronem in parte frontis scaenae superiore sedisse suspicatus est neque iniuria, ut opinor; verba enim «e parte proscaenii superiore signifer simul ac spectator» optime quadrant cum loco spectatoribus opposito Tum illud, de quo hic est sermo, interdum, non vulgo fiebat. Neque est neglegendum Neronem «clam» in

Digitized by Google

Neque aliter explicari possunt, quae Servius de Vergilii Georgicon II, 381: „et veteres ineunt proscaenia ludi“ annotat: „Proscaenia autem sunt pulpita ante scaenam“, quod idem atque „πρὸ τῆς σκηνῆς“ esse non dubito quin velit, „in quibus ludicra exercentur“.

Item cf. Diomedis grammatici verba (in „art. gramm. l. III, ap. K. vol. I, p. 490, 4): „Quarta species est planipedis, qui Graece dicitur mimus. Ideo autem Latine planipes dictus, quod actores pedibus planis, id est nudis, proscaenium introirent, sive quod olim non in suggestu scaenae, sed in plano orchestrae positis instrumentis mimicis actitabant.“

Iam cf. Capri grammatici (in „orthographia“ ap. K. vol. VII, p. 104) verba: „Rostra voca, non prorostra. Nam „pro rostris“ quod dicimus, „ante rostra“ significat, ut „pro muris“. Sic errant, qui proscaenia appellant ipsam scaenam; nam opera fabricata exadversum caveae scaenae dicebantur, unde rectius pulpita pro scaena quae sunt proscaenia appellabuntur, ut „veteres ineunt proscaenia ludi“.[1] Quibus Capri in verbis quae vis insit, prorsus in propatulo esse opinor. Verba enim „sic errant, qui proscaenia appellant ipsam scaenam“ nihil aliud dicere volunt nisi hoc: „ut pro „rostra“ dici „prorostra“ non licet, quod „pro rostris“ idem est quod „ante rostra“, ita „proscaenium“ Latine non recte dicitur pro „scaena ipsa“. Etenim „scaenam“ intellegi vult Caper „opera fabricata exadversum caveae“, scilicet scaenae frontem una cum aedibus posticis, proscaenia autem „pulpita pro scaena.“

Tum respicias velim Donati praef. Terent. Andr.: „Annotandum sane puellarum liberalium nullam orationem in proscaenio induci in comoedia palliata praeter invocationem Iunonis lucinae, quae et ipsa quoque post scaenam fieri solet.“ „Proscaenium“ hic idem esse atque scaenae pulpitum luce clarius ex rerum contextu apparet, quod nos dicimus „*auf offener Bühne*“. Cum his cf. Plauti Amphitr. prol. v. 91/92:

---

theatrum esse delatum. Quod addo, quia Reischius ipse non nimis huic interpretationi fisus videtur.

[1] Sic verba Usenerus restituit (Rhen. Mus. vol. XXIV, p. 96.)

Digitized by Google

„Etiam histriones anno cum in proscaenio hic
Iovem invocarunt, venit, is auxilio fuit.“ [1]

His omnibus ex locis e scriptoribus petitis „proscaenium“ valere idem quod scaenam theatri iam satis apparet. Graviora autem sunt, quae ex titulis qui dicuntur publicis hac de re concludi possunt. Nam primum quidem cf. C. I. L. XII, 1375: „Rufus fabr. praef. Vasiens. II aed. voc — proscaenium marmorib(us) ornari testamento iussit. vetustate consumptum r(es) p(ublica) rest(ituit).“ Hic proscaenium „idem est quod scaenae frons spectatoribus adversa“. Iam cf. C. I. L. IX, 4663: „Iovi O. M. aedem — T. f. Quir. Iulianus P. — a Veneris et Spei signa in ea — scaenam et proscaenium et por(ticum).“ Quibus verbis scaena ipsa ac scaenae frons una cum porticu postica significantur. Item cf. C. I. L. II, 183: „Neroni Claudio divi Claudi f. Ger(manici Caes. n. Ti.) Caesaris (pron. divi) Aug(usti abn.) Caesari Aug. Germanico pont. max. trib. pot. III imp. III cos. II designato III proscaenium et orchestram cum ornamentis Augustalis perpetuus C. Heius Primus Cato Heia — d. d.“ Hoc loco proscaenium item scaenae pulpitum significat.

Eadem ratio est verborum tituli Bovillensis C. I. L. XIV, 2416: „Statua in proscaenio.“ Nam teneas velim statuas titulosque inprimis intra scaenam eiusque in fronte poni potuisse, cum locus, quo sedebant spectatores, aptus non esset. Et convenit, quod cod. Theodos. XV, 7, 2 (394 p. Chr.) tradidit: „Si qua in publicis porticibus vel in his civitatum locis, in quibus nostrae solent imagines consecrari, —. In aditu vero circi vel in theatrorum proscaeniis ut collocentur, non vetamus.“

Itaque voce proscaenii ipsa scaena una cum posticis aedium partibus significatur neque Livius aliud verbis „theatrum et proscaenium“ significare potuit nisi iustum totumque theatri aedificium. Neque in tabulis illis publicis, ad quas haec verba redire supra exposui, aliter ea usurpata esse vel inde colligitur, quod duobus his verbis sollemnibus totum opus significari solet. Cf. enim C. I. L, IX, 3857 (Supini): „Melanthus P. Deci et collegae mag(istri) He(rculis) tribunal novom a solo

[1] Quibus de versibus infra fusius agam, p. 44.

Digitized by Google

fecer(unt) theatrum et proscaenium refecer(unt) ludis scaenicis biduo dedicar(unt) d. s. p.“ Item cf. C. I. L. XI, 2710 (Volsiniis): „L. Cominius L. f. A. n. C. Canuleius L. f. T. Tullius T. f. Kanus L. Hirrius L. f. Latinus IV vir(i) theatrum et proscaenium de sua pecunia faciundum coeraverunt.“

Quodsi recte disputavimus vulgo „theatrum“ esse caveam et „proscaenium“ significare „scaenam“, vides periochae verba illa quae tractamus, totum perfectumque theatri aedificium, et caveam gradibus completam et scaenam intellegi voluisse scriptorem. Atque ita inter se coniuncta sunt verba, ut notio, quae eam theatri partem designat, quae maxime sit spectanda, caveam, semper dicatur loco priore. Quod quo melius cognoscas, cf. similes locos supra iam allatos quales: „theatrum“ scaena“, „theatrum orchestra“.

Iam in fine huius dissertatiunculae quattuor perlustremus Plauti locos, quibus „proscaenii“ vocabulum solum neque aliis aedificii partibus oppositum inveni. Qui si duobus locis a communi non discedit usu, non est, quod miremur. Mirabimur, si bis in eadem Poenuli parte insolitum novumque significatum huic voci subesse invenicmus, etsi quid inde colligatur de tota hac Poenuli parte, hoc commentariolo me persequi nemo, opinor, exspectabit. Loci autem sunt hi:

Amphitruonis fab. prol. v. 91,
Truculenti fab. prol. v. 10,
Poenuli fab. prol. v. 17 et 57.

Proficiscamur ab Amphitruonis prologi versu, quem dixi:

„Mirari nolim vos, quapropter Iuppiter
Nunc histriones curet; ne miremini:
Ipse hanc acturust Iuppiter comoediam.
Quid admirati estis, quasi vero novom
Nunc proferatur, Iovem facere histrioniam?

91. Etiam histriones anno[1] cum in proscaenio hic

[1] «Anno» cur ferri non possit, non video; cf. Menaechm. v. 205: «Quattuor minis istanc emi anno uxori meae»; item cf. Truculenti v. 391. Quare coniectura, ut Ussingius vult, qui «antea» propòsuit, omnino hic opus non est.

Digitized by Google

Iovem invocarunt, venit, auxilio is fuit.
Praeterea certo prodit in tragoedia;
Hanc fabulam, inquam, hic, Iuppiter hodie ipse aget
Et ego una cum illo, nunc animum advortite."

Sic codices versum, de quo agitur, exhibent omnes, quoniam „in" ante „proscaenio" in Ambrosiano codice (E) omissum respiciendum non est.

Quid significet hic „proscaenium" ex rerum contextu satis apparet: nihil aliud nisi scaenam theatri. Hoc verbis, quae apud Donatum p. 42 legimus quaeque similitudinem quandam cum his habent, confirmatur. Neque aliter res me iudice se habet in Truculenti prol. v. 10:

1. „Perparvam partem postulat Plautus loci
De vestris magnis atque amoenis moenibus,
Athenas quo sine architectis conferat. — —
10. Athenis tracto ita ut hoc est proscaenium,
Tantisper dum transigimus hanc comoediam."

In verbis „Athenis tracto", quae per se intellegi nequeunt, consentiunt codices omnes, siquidem quod unus B tradidit „Athinis", respiciendum non est. Scripserunt Spengelius (ed. 1868): „Athenis haec suntó ita . . ." secutus ex parte Camerarium, qui „Athenae istae sunto ita . . ." proposuerat; Geppertus (ed. 1866): „Athenis agitur ita ut . . ."; Schoellius (Anal. Plaut. 1877, p. 45): „Athenas trastuli" vel „traloco hoc ubist proscaenium"; Baehrens (in Fleckeiseni ann. 1882, vol. 125, p. 474: „Athenis (indicio ita ut hoc est proscaenium"); Ussingius (ed. 1886): „Athenis translatum huc hoc est proscaenium"; C. F. W. Muellerus (in libro, qui inscribitur „*Plautinische Prosodie*" 1869, p. 510): „Athenae haec urbs" vel „hoc astu est ita ut . . ."; Leo denique (ed.) „Athenis mutabo ita ut hoc est proscaenium".

Haec Leonis coniectura sententiae, quae hic desideratur, optime satisfacit. Prologus enim, priusquam argumentum exponit, facete locum petit parvum Romae a spectatoribus, ubi Athenas urbem statuat, hoc est, ubi fabula agatur, ergo scaenam. Deinde ad argumentum ipsum ordine enarrandum aggrediens illuc revertitur verbis, de quibus agitur.

Digitized by Google

Voce igitur „proscaenii“ significatur locus, quo prologus stat, scilicet scaena ipsa; neque discrepat ab usu communi scriptorum Plautus.

Aliter res se habet in prologo Poenuli, ubi bis proscaenii occurrit vocabulum, v. 17 et 57. Ac primum videas v. 17:

„Bonum factum esse, edicta ut servetis mea.
17. Scortum exoletum ne quod[1] in proscaenio
Sedeat, neu lictor verbum aut virgae muttiant,
Neu dissignator praeter os obambulet
Neu sessum ducat, dum histrio in scaena sit.“

Ac primum hic teneri volo imperatoris edicta, quae versibus 16—43 proferuntur, ad spectatores caveamque pertinere ita, ut ordine illi sedeant et silentes spectent; de scaena hic omnino non agitur. Antiquis autem temporibus spectatores sedisse unquam in scaena ipsa neque traditum est neque veri simile. Accedit, quod locus, in quo histriones agunt, paullo infra (v. 20) a Plauto suo proprioque nomine dicitur. Quare „proscaenium“ hoc loco esse scaenam nemo contendat. Quid autem sibi vult?

Benndorfius[2] quidem ut hunc locum explicaret, Alciphronis ep. II, 4, 5 protulit, ubi haec verba Glycerae de Menandro leguntur: „ἥτις αὐτῷ καὶ τὰ προσωπεῖα διασκευάζω καὶ τὰς ἐσθῆτας ἐνδύω, κἂν τοῖς προσκηνίοις ἕστηκα τοὺς δακτύλους ἐμαυτῆς πιέζουσα καὶ τρέμουσα, ἕως ἂν κροταλίσῃ τὸ θέατρον,“ Glyceram autem, Menandri amicam, post scaenam versari suspicatus est,

---

[1] Pro «ne quod» in vetere Camerarii (B) codice et in Ursiniano (D) legitur «ne quis», in codice Decurtato (C) «ne que». Haesit in voce «quis» iam Ritschelius, quippe qui «ne quod» legi malit; et suo iure, opinor. «Scortum» enim «exoletum» genetivum numeri pluralis esse vel propterea veri est dissimillimum, quod exceptis certis quibusdam dictionibus iisque sollemnibus vetustiores hae formae iam apud poetam nostrum adeo rarae inveniumtur, ut nisi gravissimis rationibus coactus non facile de illis cogites. Ita Bruno Keilius me docuit. Accedit, quod scrioris genetivi pluralis conformationis vocis «scortum» exempla apud ipsum Plautum exstant plura, nullum antiquioris. Cf. enim Persae fab. v. 419:

«Scortorum liberator, suduculum flagri», item cf. Trucul. fab. v. 64: «Nam nunc lenonum et scortorum plus est fere . . .»; ib. v. 69: «ibi plus scortorum esse iam . . .»

[2] In act. gymn. Austr. 1875, vol. 26, p. 84 sq.

Digitized by Google

quod nos dicimus „*hinter den Culissen*“. Sed hic cum Meinekio haud scio an sit legendum „παρασκηνίοις“; neque usquam alibi dici videtur „τὰ προσκήνια“.

Neque vero Wieselero assentiri possum, qui l. c. „proscaenium“ idem hic significare quod „in conspectu omnium“ dubitanter suspicatus locum ita explicabat, tanquam legeret „quasi“, quod Geppertus etiam in textum, qui dicitur, recepit.

Ritschelii autem explicationem (l. c. p. 211 in adn.) „proscaenium“ hic intellegi posse spectaculorum gradus in utraque caveae parte scaenam versus continuos probare non possum, quoniam exempla, quibus hanc arbitrariam suam sententiam comprobaret, omnino non attulit. Coniecturas autem, quibus difficultatem tollere studebat „ne qua sub“ vel „ne qua pro proscaenio“ ferri non posse puto, cum et nimis recedant a codicibus neque insolita ac molesta verborum ambages idoneis defendatur exemplis. Neque vero a nobis impetrare possumus, ut mera coniectura argumentis non fulta adeo fidamus.

Ritterus autem primus, quantum scio, suspicatus est „proscaenium“ significare orchestram, ergo caveae partem, in qua senatores inde ab anno 195 a. Chr. n. sedebant, („*Allgem. Schulzeit*“. *1830, p. 881 sq.*), quod ita probat Ussingius, ut aut intellegi velit prima aut omnia spectacula. Atque certe haec fere me iudice desideratur sententia: aut loco conspicuo, id est inter senatores, aut omnino inter ingenuos, id est in cavea, prologus scortum, scilicet puerum amatum, sedere non patitur.

Accedit, quod eadem significatio subesse videtur eidem verbo in eiusdem prologi versu 57: „Locus argumentost suom sibi proscaenium.“ Sic in editione Leonis versus hic legitur. Codex autem B exhibet hoc loco „suom sibis“; codices C et D praebent „suom scibis“; in codicibus ab Italis correctis invenitur „suom sibi“. Quo loco quae lectio ferri possit, priusquam disceptemus, qui sit rerum contextus, paucis exponamus. Prologus, cum edicta a praecone proposita essent, ad ludorum curatores transiit, qui fabulis actis Graeco more optimo cuique histrioni palmam tradebant; quos monet ut iusta ferant iudicia, non ambitione aut favore corrupta. Deinde fabulae nomine prolato rationes ceteras, i. e. ipsius argumenti enarrationem relaturus est.

Digitized by Google

52. „Nomen iam habetis. nunc rationes ceteras
Accipite; nam argumentum hoc hic censebitur:
57. Locus argumentost suom sibi proscaenium,
Vos iuratores estis. quaeso, operam date".

Accuratius iam, quaeso, consideres sententiam verborum: „vos iuratores estis". Quae verba Ritschelius non recte interpretatus Turnebo, Gronovio, Acidalio nixus iuratores esse censores contendit (l. c. p. 210). Ministros eos esse censorum, non censores nunc iam satis constat; cf. Mommseni[3] iur. publ. Rom. vol. II, p. 1, pag. 362 sq. cum adnot. 2, qui Plauti Trin. v. 878 „census quom sum, iuratori recte rationem dedi" et Liv. XXXIX, 44, 2: „ornamenta et vestem muliebrem et vehicula, quae pluris quam quindecim milium aeris essent, in censum referre iuratores (quod verbum Mommsenus recte tuetur) iussi" contulit. Censoribus enim, cum ipsi singulas res exigere non possent, adiutores erant illi in civium qui censebantur rationibus examinandis, i. e. rebus ac fortunis. Quod verbum a censorum ministris ad spectatores translatum est, qui rationes accipiunt[1], i. e. argumenti enarrationem. Hic enim argumentum censebitur fabulae.

Quae cum ita sint, versum, quem tractamus, 57, qualis in codicibus invenitur, mendosum esse opinor. Neque enim quo „suom" pronomen sit referendum, intellegitur. Quare iam Teuffelius[2] locum temptabat et proposuit haec: „Locus argumento censendist proscaenium" vel „locus argumento iurandist proscaenium". Sed ut praetermittamus hanc mutationem nimis recedere a codicum vestigiis, ne sententiam quidem satis aptam efficit. Hanc ob causam Lorenzius,[3] quod proposuit ille, refutasse sibi videtur neque Latine dici posse suo iure contendit. Neque placet, quod Geppertus nihil nisi „sibi" mutans coniecit hunc versum versibus 56 et 58 postponendum esse. Dziatzkoni[4] autem, qui vs. 50—58 interpolatos et grammaticorum

---

[1] Cf. legis Iuliae municipalis v. 146 sq.: »eorumque nomina . . rationem pecuniae . . accipito.» : v. 149: »census . . ab iis iurateis accipito».

[2] Cf. Mus. Rhen. vol. 28 (a. 1873), p. 346.

[3] Cf. Bursiani annal. (a. 1873), p. 424.

[4] Cf. commentat. supra commemorat. 1863, p. 30.

Digitized by Google

studiis tribuendos esse arbitratur, ut adstipulemur fieri omnino non potest. Restat, ut de eo, quod Ritschelius l. c. p. 210 in textum, qui dicitur, recepit, dicamus. Qui „suom" mutavit in „suos" (suus) et „st", quod codices omnes post „argumento" praebent, omisso pro „sibis" iam a codicibus tradito legi maluit „sibist", ita ut legamus „locus argumento suos sibist proscaenium". Hoc quidem neque a codicibus multum dissidet et meo quidem iudicio claram perspicuamque praebet sententiam.

De usu autem verborum „suus sibi" conferantur loci, quales sunt: Amphitr. fab. v. 268 sq.: „Itaque me malum esse oportet, callidum, astutum admodum atque hunc telo suo sibi, malitia a foribus pellere." Cf. Captivor. prol. v. 5: „Sed is quo pacto serviat suo sibi patri, id ego hic apud vos proloquar, si operam datis"; cf. ib. v. 46, 50, item cf. Milit. glor. v. 631: „Si albicapillus hic, videtur neutiquam ab ingenio senex. Inest in hoc emussitata sua sibi ingenua indoles." Porro cf. Terent. Adelph. v. 958: „Suo sibi gladio hunc iugulo".

Pronomen igitur „sibi" ad augendam additur notionem, quae est in „suus", fere ut „proprius".

Quae omnia cum ita se habeant, Ritschelii coniecturam probari posse puto: „Locus argumento suos sibist proscaenium." Hanc „suos sibist" coniecturam etiam Schoellius[1] recepit; quod autem, cum „argumentum" paullo antea in v. 56 usurpatum sit, hanc ob causam „argumento" verbum id, quod in v. 57 legitur, offensioni esse dicit: similia apud Plautum inveniuntur exempla; cf. enim Amphitr. prol. v. 78 sq.: „Virtute ambire oportet, non favitoribus. Sat habet favitorum semper qui recte facit.."; item cf. ibid. vs. 145 et 146. Jam cf. Menaechm. prol. v. 11 sq.: „Atque adeo hoc argumentum graecissat, tamen non atticissat, verum sicilicissat. Huic argumento antelogium hoc fuit; nunc argumentum vobis demensum dabo."

Accedit, quod iterati verbi neque eadem forma redit neque eadem est vis, quae est in versu priore. Duplex enim huic verbo est subiecta notio. Ac primum quidem significat „argumentum" nihil aliud nisi sententiam fabulae vel fabulam fere

[1] Cf. Anal. Plaut. (a. 1877), p. 45 (adnot. 84).

Digitized by Google

ipsam, ut ex Quintiliani instit. orat. V, 10, 9 apparet: „Sed argumentum plura significat. Nam et fabulae ad actum scaenarum compositae argumentum dicuntur.“ Cum his componas velim Plauti ipsius Menaechm. prol. vs. 11—15 modo allatos, quibus, quomodo fere usus sit Plautus „argumenti“ verbo, satis apparet; priore enim loco idem valet haec vox quod fabula ipsa, actio, altero solitam eorum, quae fient, narrationem significat; item cf. prologi, quem nos tractamus, versum 46: „Ad argumentum nunc vicissatim volo remigrare“, ubi „argumentum“ hoc sensu usurpatur, cum in versu 56: „nam argumentum hoc hic censebitur“ nihil sit nisi fabula ipsa. Iam respicias velim auct. ad Herenn. 1, 8: „Argumentum est ficta res, quae tamen fieri potuit, ut argumenta comoediarum“, ubi „argumentum“ nihil est nisi fabula sive „fabulae materia“; cf. Cic. de nat. deor. 1, 20: „. . ut tragici poetae, cum explicare argumenti exitum non potestis, confugitis ad deum“; denique afferre liceat Livii VII, 2, 8 verba: „Livius post aliquot annis, qui ab saturis ausus est primus argumento fabulam serere, idem scilicet, id quod omnes tum erant, suorum carminum actor, dicitur, — canticum egisse.“

Tum vocis huius notio latius patet, cum saepius idem possit valere illud verbum quod „argumentis aliquid probare“, idem fere igitur quod „probatio“ vel „argumentatio“ (nos: „*Beweisführung*“). Cf. enim Quintiliani l. c. V, 10, 11: „Ergo cum sit argumentum ratio probationem praestans, qua colligitur aliquid per aliud, . . .“

Quae vocis „argumenti“ significatio ad versum 57 quadrat atque optimam quoque praebet sententiam. Verbis enim „locus argumento suos sibist proscaenium“, quippe quae, quo loco censeatur fabula, dicant, ea, quae antecedunt, plane confirmantur, quo fit, ut totius loci haec sit sententia: „*Des Stückes Inhalt wird hier gleichsam abgeschätzt. Der geeignete Ort für die Beweisführung, d. h. die Prüfung und Abschätzung des Stückes nach seinem Wert durch die Richter, die Zuschauer nämlich, ist das* proscaenium.“

Verba „nam argumentum hoc hic censebitur“ et quae in v. 58 subsequuntur: „vos iuratores estis“, si sententiam spec-

Digitized by Google

tamus, artissime inter se cohaerent. Etenim verba illa nihil aliud significare possunt nisi hoc: „argumentum sive fabula hic i. e. in theatro censebitur.“ Et verbis „vos iuratores estis“ plane comprobatur a spectatoribus censum agi, scilicet in cavea. Ex hisce iam apparet verba interiecta „locus argumento suos sibist proscaenium“ referenda esse ad spectatorum de fabula iudicium, ergo ad caveam. Ritschelii autem explicatio,[1] qui poetam vult his verbis expressisse argumentum, ut censeatur, suo proprioque loco esse, i. e. in scaena, probari non potest, quoniam cum ad verba „argumentum hoc hic censebitur“, tum ad verba „vos iuratores estis“ utraque ad caveam sive spectatores spectantia non quadrat. Ponamus autem „proscaenium“ esse caveam: oratio plane procedit neque rerum contextus perturbatur.

Et si plures enarrationis et census similitudines quaerere liceat, censoris ipsius munere hic fungitur aedilis in cavea sedens, cum adiutores eius ministrique sint spectatores reliqui, i. e. iuratores, qui prologi rationes fabulaeque accipiunt.

Necessariae igitur non videntur, si hanc verbo argumenti vim subesse posse concedes, aut Schoellii coniectura „locus arbiterio“ scribentis aut mea, qua iuratorum munus respiciens[2] ac „locus aestumando“ proponens versum restituere me posse olim suspicabar.[3]

---

[1] Cuius verba ipsa hic afferre mihi liceat: «*Des Stückes Inhalt wird jetzt hier gleichwie durch einen förmlichen Census abgeschätzt; um diese Vorstellung fassen zu können, ... ist die Inhaltsanzeige hier, wo sie eben von mir vorgetragen werden soll, d. i. auf dem* proscaenium, (*welches natürlich nicht verschieden vom* pulpitum), *ganz an ihrem rechten Orte.*»

[2] Mommseno nixus, qui in censu Romano censores in ipsa aestimatione rerum fortunarumque adiutos esse ab iuratoribus suspicatus est in «iur. publ. Rom.»[3] vol. III, p. 1, pg. 394: «*Die Abschätzung,* aestimatio, (*des deklarierten Gutes*) *erfolgte zunächst durch den Deklaranten selbst, wobei die dem Censor zur Seite stehenden Einschwörer* (iuratores) *vermutlich noch einen besonderen Gefährdeeid von ihm verlangen konnten.*»

[3] Paullo aliter Reitzensteinius Leonem secutus verba tradita interpretari conatur: iam ubi nomen comoediae dat, deinde ubi addit «nunc rationes ceteras accipite», sollemnibus, quae in censu adhibentur, verbis

Digitized by Google

Restat, ut statuamus duobus locis Plautinis „proscaenium“ non, ut consuetudo loquitur, scaenam significare, sed caveam, quia pro scaena erat.

Neque vero hoc mirum proprimmque Graecorum et Romanorum est; etenim ex omnibus fere linguis exempla peti possunt, quibus comprobem verba alienigena, simulatque in aliam linguam transierint, separata a patria ad novam dicendi consuetudinem accomodari, quin etiam vi, quae antea in iis inerat, mutata interdum reviviscere. Cf. quid significent haec verba apud Francogallos, qui vocantur, quid apud nos, qui ab illis ea recepimus:

parterre (nos: *Erdgeschoss*) — rez-de-chaussée,
jalousie (nos: *Sommerladen*) persienne,
parade (nos: *Besichtigung*) — revue,
perron (nos: *Bahnsteig*) — quai.

---

utitur prologus (cf. Trin. 878 «census cum sum, iuratori recte rationem dedi). Quod ut explicet, addit: «nam argumentum hoc *hic* censebitur, *vos* iuratores estis»; lepidam autem imaginem explanat verbis: fabula enim non in campo, sed *hic*, id est, hoc loco censetur, locus argumento scilicet censendo, suum sibi θέατρον est. «De scaena», ut ille mihi scribit, «cogitari non posse mihi quidem probavisti neque aliter θέατρον accipi velim quam de auditorio vel auditoribus In campum disertis verbis vocatur, qui aut ipse censetur aut pro alio rationes reddit (cf. Varro de l. lat. VI, 86, 92), poeta aut fabula locum habent suum sibi proscaenium, in quo, qui adsunt, omnes iuratores sunt ideoque animum debent attendere. Ita si rem explicaris, etiam ipsum Plautum cum comoedia sua in censum vocari fortasse Leoni concedes.»



Digitized by Google

VITA.

Natus sum Ferdinandus Bauer Augustae Treverorum anno saeculi eius, quod praeteriit, LXXX a. d. VI Kal. Februarias patre Matthia, quem praematura mihi morte ante sedecim fere annos ereptum lugere non desinam, matre Anna e gente Baehrens, quam integris adhuc uti corporis viribus magnopere gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum, quae dicuntur, elementis imbutus adii gymnasium Fridericium Guilelmium Treverense, quod rectore Wirselio, iam Coloniensi, tum floruit, postea Iltgeno. Maturitatis, quod dicunt, testimonio instructus Argentoratum me contuli, cuius almae Musarum sedis civis fui quattuor annos et sex menses. Docuerunt me viri doctissimi Bresslau, Gerland, Heinze, iam Berolinensis, Keil, Michaelis, Neumann, Reitzenstein, Sackur (†), Schwartz, iam Gottingensis, Thraemer, Varrentrapp, iam Marburgensis, Windelband, Ziegler. In seminarium philologicum ut reciperer, cuius sodalis ordinarius fui per quater senos menses, magna Reitzensteinii et Schwartzii erga me benevolentia factum est. Seminario historico me libenter admiserunt Neumann, Keil, Sackur (†). Exercitationibus numismaticis ut interessem, benigne concessit Thraemer.

Cum ante hos duos fere annos amplissimus philosophorum ordo Argentinensis civibus academicis de praemio certaturis hanc proposuisset quaestionem: *Res scaenicae apud Romanos*

Digitized by Google

quales fuerint Plauti aetate exponatur, et quae de illis Ritschelius in Parergis Plautinis p. 209—238 disseruit examinentur, commentatio tum mihi conscripta ab eodem ordine amplissimo, qua est benignitate, praemio est ornata. Eadem novo studio retractata et aucta, quam inscripsi iam „quaestiones scaenicae Plautinae", ad summos in philosophia honores impetrandos iterum proposita eiusdem, quem dixi, ordinis non caruit consensu.

Restat, ut gratias agam quas debeo quam maximas cum omnibus praeceptoribus meis optime de me meritis tum Reitzensteinio, qui opera et consiliis in conscribenda hac commentatione benignissime me adiuvit.

Druck von Hertzer, Hubert & Fritsch, Strassburg, Kinderspielgasse 20. — 1732

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

YC 00729

Digitized by Google